This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
26
50

Lc 26.50

Cortese. De M.Porcii Catonis
vita operibvs et lingva. 1882

Harvard College Library

From the
CONSTANTIUS FUND
Bequeathed by
Evangelinus Apostolides Sophocles
Tutor and Professor of Greek
1842–1883

For Greek, Latin, and Arabic
Literature

DE

M. PORCII CATONIS

VITA OPERIBVS ET LINGVA

SCRIPSIT

Giacomo
IACOBVS CORTESE

DOCTOR POLITIORVM LITTERARVM

SAVONE
EX OFFICINA ANDREAE RICCI
MDCCCLXXXII.

Lc 26.50

HARVARD COLLEGE
OCT 2 1 1938
LIBRARY

Bowditch's fund

PARENTI CARISSIMO

PRAEFATIO

Non sum equidem nescius falsam apud nos studiorum persuasionem invalescere, qua fit, ut si quidpiam latine conscripseris, vetustiori, quam vocant, disciplinae plus aequo addictus praediceris, perinde quasi ad eam sententiarum altitudinem nequeas adsurgere, quas recentior aetas invexit.

Quod ad me attinet, haud abs re fuerit in primis animadvertere, sermonem quo Romani universi olim orbis victores, triumphatis gentibus leges imponerent, hodie a philologis recipi quia ad omnes late populos, humanitate quadam excultos, in commune, paene dixerim pertinet. Praeterea si opus hoc meum, quod veterum testimoniis potissimum nititur, vernacule exarassem, oratio inde exstitisset disparilis ac discolor, cum legentibus fastidiosa, tum romanae illi dignitati minus apta, quam M. Porcius Cato vel in lingua mordicus retinendam censebat. Quae tacitus equidem praeteriissem, nisi supra ea quae dixi receptae studiorum rationis insectatores, a scholasticis quoque exercitationibus latinam linguam ablegandam existimarent; quippe cuius notitiam, ut aiunt, sola ac diligenti scriptorum romanorum interpretatione, tutius faciliusque assequaris.

Excusatum igitur me habeas, optime lector, si de inconsulta hac sententia, quae a viris doctissimis evulgata, perniciem latinis litteris manifesto portendit, breviter in praesentia disputabo.

Qui affirmant perperam discentium commodis magistros prospicere dum eos, molesto ac prope ridiculo labore, in italis scriptoribus latine interpretandis detineant, igniculos a natura datos restinguentes, nunquam profecto animadverterunt quantopere huiusmodi exercitationibus ad penitiorem latinae linguae cognitionem perducantur adulescentuli. Sunt enim voces, locutiones et

minutulae quaedam sermonis virtutes, quas, ut est apud cordatiores testatum, frustra coneris arripere nisi fueris in illis exscribendis diu multumque versatus. Nec sufficiet contra scriptorum romanorum interpretatio, licet assidua diligensque, ac magistris praeeuntibus docendi consuetudine peritissimis; nam cum vernacula verba celeriter et facile in mentem veniant, latini sermonis proprietates obiter et perfunctorie delibantur.

Et re quidem vera complures memini me videre ex probatae hactenus disciplinae adversantibus, qui si locum aliquem obscuriorem latini scriptoris enucleandum proposuisses, primo quoque pede, difficultatibus irretiti, ad vernaculas interpretationes confugerent. Quod incredibile memoratu est, quantopere tironibus officiat, huc saepenumero spectantibus ut illas describant, nulla scriptoris habita ratione. Ad haec cum sit omnibus persuasum insitam ingenii vim apta exercitatione roborari, quotus quisque est, qui latinas exercitationes, a me supra memoratas, abdicandas velit, quae maximam animi contentionem requirunt in vocibus et locutionibus conferendis deligendisque, ut vernaculae scriptioni latina interpretatio ab omni parte respondeat?

Quae cum ita sint, summa ope nitendum arbitror, ne immoderato novandi studio frugifera haec disciplina temere abrogetur.

Etsi instituti operis rationem exponere plane otiosum puto; iuvat hic tamen praemonere, me aliter ac nonnullis aetatis nostrae scriptores qui omnia aut laudando extollunt, aut fastidiose vituperant, sine ira atque studio, ne transversum quidem unguem a veritate recessisse.

Antequam vero praefationi huic meae finem impono, gratias agam quam maximas Francisco Bertolotto, praeceptori et amico longe carissimo, qui, mihi adulescentulo ad graecas latinasque litteras rite excolendas, qua est doctrina et humanitate, viam primus aperuit. Commode igitur, mea sententia, in eum cadunt quae habet Seneca [1] « Praeter illa quae a praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit; hortando bonam indolem erexit .... nec quae sciebat maligne dispensavit .... Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo ».

Nunc ad inceptum redeo.

Dabam Savone apud Ligures Kal. Iul. MDCCCLXXXII.

---

(1) De benef. VI, 16 ed. Haase.

PARS I.

DE VITA

BIBLIOGRAPHIA

Praeter Bernhardy, *Grundriss der röm. Literat.* 1872; Teuffel, *Gesch. der röm. Literat.* (vierte aufl. bearb. von L. Schwabe) 1881; Baehr, *Storia della letterat. rom.* trad. T. Mattei 1879. Mommsen, *Röm. Gesch.* 1874, quos semel hic noto me semper adhibuisse; hisce praesertim operibus usus sum in priore hac parte conscribenda: Cicero *De senect.* ed. Lahmeyer; Cornelius Nepos XXIV ed. Nipperdey; T. Livius *Ab urbe condita libri* ed. Madvig; Sext. Aur. Victor, *De viris illustribus urbis Romae* XLVII ed. Keil; Plutarchus, Βίος Κάτωνος atque Ἀριστείδου καὶ Κάτωνος σύγκρισις ed. Blass. — G. C. Brillenburg, *De M. Porcio Catone Censorio* Lugd. Batav. 1826, p. 6 - 65; A. Krause, *Vitae et fragm. veter. histor. romanor.* Berolini 1833 p. 89 - 98; W. Drumann *Gesch. Roms in s. Ueberg. v. d. republ. z. monarch. Verfassung,* Koenigsberg 1841 vol. V. pag. 97 - 153; Osk. Jäger, *Die punisch. Kriege* Halle 1870 vol. III; M. A. Berger, *Histoire de l'éloquence latine,* Paris 1872, vol. I, pag. 275 - 298, vol. II; pag. 1 - 23; F. Gnesotto l'*Eloquenza in Atene ed in Roma,* Verona 1877, pag. 376 - 393, Georg. Vollertsen, *Quaestionum Catonianarum capita duo,* Kiliae 1880, pag. 7 - 36.

M. Porcius Cato [1] Tusculi natus an. 520-234 [2] priusquam honoribus operam daret, apud Sabinos, ubi heredium habebat [3], parce ac duriter adulescentiam exercuit [4].

Etsi maiores eius in obscuro vixisse comperimus, attamen Cato patrem proavumque suum laudabat, quippe bonos et militari virtute praestantes, adfirmans propterea, se novum ad magistratus et claritudinem esse, sed probitate ac rebus strenue gestis antiquissimum [5].

---

(1) Plutarchus *op. cit.* I, 2 affirmat: « (Κάτων) ἐκαλεῖτο δὲ τῷ τρίτῳ τῶν ὀνομάτων πρότερον οὐ Κάτων ἀλλὰ Πρῖσκος κ. τ. λ. » Sed perperam; nam Catoni interdum vox *Priscus* apponebatur, non quod tale illi esset cognomen, sed adiectivi loco, ut a ceteris dignosceretur Catonibus quos antiquitate praecesserat. (cfr. Gell. XIII, 20 ed. Hertz). Praeterea dictus est etiam *maior*, *superior* (sicut Uticensis, *minor* et *posterior*), *antiquus, senex,* ὁ πρεσβύτερος; necnon, ob oratoriam vim, *orator;* et *censor* vel *censorius,* quia in censura eximie inclaruerat. Denique, ut ait Cicero (*De amicit.* 2, 6 ed. Nauck), propter multarum rerum usum, quasi cognomen iam habebat in senectute *sapientis.*

De *Catonis* etymo alii alia protulerunt. Servius (*Aen.* I, 423) una cum voce *catus* ἀπὸ τοῦ καίεσθαι *Catonem* deducit, quasi ferveat ingenio; Vossius (*Etymolog. ling lat.* ad v.) a verbo *caveo*; Drumann (*op. cit.* p. 97) a *canis.* Ipse autem praeeunte Varrone qui ait (*L. L.* VII, 46 ed. Speng.) « Cata acuta; hoc enim verbo dicunt Sabini: quare catus Aeliu' Sextus, non, ut aiunt, sapiens, sed acutus » a rad. ka (cfr. ak) quae *acre* illius viri ingenium significat, deducendum existimo. (cfr. A. Vanicek, *Griechisch-latein. Wörterb.* Leipzig 1877 vol. I. p. 4. 98).

(2) Cato ex Ciceronis sententia ortus an. 520-234, diem obiit supremum an. 605-149. (Cfr. *De senect.* IV, 10. V, 14. X. 32. XII, 39. XIII, 45. XIV, 50; *Brut.* 14, 5. 60. 20, 80 ed. Piderit.) Livius autem (XXXIX, 40) non LXXXV, sed XC annos vixisse Catonem affirmat. Quo fit ut pro illius anno natali 515-239 habeatur; sed falso. Cfr. Maians *Ad triginta iurisconsultor. omnia frag. commentarii* Genevae 1764 vol. I. p. 79; Meyer-Dübner, *Orator. romanor. frag.* Parisiis 1837 p. 114-117; Drumann *op. cit.* p. 97 et praesertim Vollertsen *op. cit.* p. 18-20.

(3) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 1.

(4) « Ego iam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis » cfr. Henr. Iordan, *M. Catonis praeter libr. de r. r. quae extant,* Lipsiae 1860 p. 43.

(5) Plut. *op. cit.* I, 1. 2; Aelian. *Varia hist.* XII, 6. XIV, 36 ed. Herch.

Quo tempore Hannibal, secunda fortuna usus, Italiam vastaret, Cato prima stipendia meruit annorum decem septemque [1].

Triennio post (an. 540-214) in Campanos et Samnites secutus est miles Q. Fabium Maximum, cuius praeclaras virtutes, in illustri veluti expressas monumento, ad imitandum sibi proposuerat [2]. Et cum eo, summa familiaritate coniunctus, etiam ad Tarentum profectus est (an. 545-209) [3]. Postea C. Claudii Neronis castra secutus, egregie se praestitit in proelio ad Senam, quo cecidit Hasdrubal (an. 547-207) [4].

Haud procul suis praediis focum M.' Curii visere solebat, qui bellicosissimis gentibus subactis, exactoque Italia Pyrrho, post tres triumphos, agrum, ut antea coleret, ac tugurium inhabitaret [5]. Haec secum ipse reputans Cato frugalitati inde ac labori tam naviter intendit, ut in sui admirationem converteret vicinum suum, L. Valerium Flaccum, virum in primis nobilem, atque ea tempestate potentissimum, cuius hortatu Romam demigravit annum agens XXVIII [6].

Anno 550-204 quaestor obtigit P. Scipioni consuli [7], cum quo non pro sortis necessitudine vixit [8]. In Sicilia cum luxuriose viveret Scipio et pecuniam militibus effusius dilargiretur, libere eum Cato redarguit, quod militarem disciplinam emolliendo, a prisca Romanorum frugalitate desciscceret. Cui Scipio: « non opus est mihi » respondit « quaestore nimis sollerti: plenis ad bellum velis profectus, non pecuniae sed rerum gestarum rationem populo reddendam existimo ». His auditis discessit Cato et Romae Scipionis effusionem cum Fabio conquestus, effecit ut legati mitterentur, qui, si vera forent crimina, Scipionem reducerent. Verum Scipio etsi palaestris ac theatris delectabatur, gravia tamen ac seria non praetermiserat, et quos impiger fecerat, bellicos apparatus ostendit.

---

(1) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 1; Plut. *op. cit.* I, 5.

(2) Cic. *De senect.* IV, 10. 12; Plut. *op. cit.* III, 3. de errore Corn. Nep. qui (*op. cit.* 1, 2) dicit Catonem Q. Fabio M. Claudio coss. tribunum militum in Sicilia fuisse cfr. Vollertsen *op. cit.* p. 21.

(3) Cic. *De senect.* IV, 10. 12. XII, 39; Plut. *op. cit.* II, 2.

(4) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 2.

(5) Plut. *op. cit.* II, 2.

(6) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 1; Plut. *op. cit.* III, 1. 2.

(7) Cfr. Vollertsen *op. cit.* p. 22.

(8) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 3.

Rebus igitur non verbis purgavit sese; laetisque inde animis profecti sunt legati, tamquam victoriam nuntiaturi [1].

Hinc patet Catonem, qui vitia tantum, egregiis posthabitis virtutibus, studiosissimus notaverat, acrius quam par erat, Scipioni* adlatrasse.

Sicilia pacata Scipionem in Africam traicientem secutus est cum C. Laelio, classis praefecto [2]. Unde Romam revertens Sardiniam est appulsus; ex qua Q. Ennium poetam deduxisse fertur. Quod Cornelius Nepos non minoris aestimat quam quemlibet Sardinianensem triumphum [3]. Ita factum est ut quidam ab Ennio graecis literis institutum Catonem affirmaverint [4].

Ad haec eo quaestore sodalitates constitutae sunt sacris Idaeis Magnae Matris acceptis [5].

Aedilis plebis an. 555-199 cum C. Helvio ludos plebeios instauravit [6]; annoque post Sardiniam provinciam praetor obtinuit [7].

---

(1) Liv. XXIX, 22; Plut. *op. cit.* III, 3-5. Plutarchi testimonio (l. c.) « ἀπῆλθε ὁ Κάτων ἐκ Σικελίας καὶ μετὰ τοῦ Φαβίου καταβοῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ φθοράν τε χρημάτων ἀμυθήτων ὑπὸ τοῦ Σκηπίωνος κ. τ. λ. » refragatur Vollertsen *op. cit.* p. 23: « nam neque ceteri auctores neque Livius, qui copiosius et diligentius Plutarcho de iisdem refert.... Catonem ipsum ut consulem accusaret Romam venisse usquam memorant. praeterea haudquaquam id verisimile est. quippe cum quaestori, qui pietatis vinculo a consule sicut a patre filius teneretur, primum omnino consulem criminibus petere vix licuerit, deinde tanto minus id illi aetati conveniat, cum eo tempore aditus in senatum nulli magistratui nisi iam aedilitius esset patuerit. de Scipione autem nusquam nisi in senatu actum esse Livius expressis verbis contendit (XXIX, 22) ».

Contra ipse adferam pauca: cum nemo illis temporibus, nisi iam esset aedilitius, ut recte adseverat Vollertsen, in senatu admitteretur, verisimile est Plutarchum errasse in latino quodam scriptore interpretando, qui e. gr. haec haberet « Fabius a Catone instinctus, tam acriter in Senatu Scipionem incessit ut Cato ipse, non Fabius dixisse videretur » vel « Cato per Fabium in senatu Scipionem accusavit... » Quibus locutionibus non bene perpensis, ut saepe contingit (cfr. Peter *Quellen Plut.* p. 61), Plutarchus *cum Fabio* (μετὰ τοῦ Φαβίου) pro *per Fabium* posuit.

Cetera demum argumenta a Vollertsen prolata non magni ducenda existimo; nam si quae ab uno tantum scriptore suppeditantur documenta, ea semper abiceremus, haud scio equidem quo res sit evasura. Ad hoc, quamquam ob muneris societatem, consul a quaestore parentis loco habebatur, Cato tamen cum Scipione non pro sortis necessitudine vixit, et ab eo perpetua dissensit vita (cfr. Corn. Nep. *op. cit.* 1, 3).

(2) Liv. XXIX, 25, 5.

(3) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 4.

(4) Aurelius Victor l. c.

(5) Cic. *De senect.* XIII, 45.

(6) Liv. XXXII, 7, 13; Corn. Nep. *op. cit.* 1, 3.

(7) Liv. XXXII, 8; Corn. Nep. *op. cit.* 1, 4.

Pro tabernaculis, stragulis, magna servorum familia atque lautitiis praetorum qui antea illic fuerant, incredibilem ipse parsimoniam exhibuit; sumptibus omne genus circumcisis aut sublatis. Asperior in fenore coercendo, fugavit ex insula feneratores [1].

Licet obscurus et compluribus invisus Tusculanus noster id. mart. an. 559-195 cum L. Valerio Flacco consulatum inivit [2]. Cum in Hispania interim glisceret bellum et consulari duce et exercitu opus esset, senatus decrevit consules Hispaniam citeriorem Italiamque provinciam aut comparare inter se, aut sortiri. Catoni, qui Hispaniam sortitus erat, P. Manlius adiutor datus [3]. Provinciis distributis, consules priusquam ab urbe proficiscerentur, ver sacrum ex decreto pontificum fecerunt [4].

Per idem ferme tempus, orationis suae causa, quam pro lege Oppia habuerat, in mulierum incidit invidiam, quae florente re publica, crescente in dies privata omnium fortuna, sibi quoque pristinum ornatum postulabant [5].

Postquam abrogata lex Oppia est, Cato ad Lunae portum profectus, eodem exercitum convenire iussit, et navibus omne genus edicto contractis [6], per maritimam oram ad portum Pyrenaei contendit [7]. Ligustinos montes sinumque Gallicum praetervectus [8], Rhodam venit; inde secundo vento navigavit Emporias ubi copiae omnes, praeter socios navales, in terram expositae. In Hispania haud procul ab Emporiis castrametatus consul, agros hostium urit vastatque: fuga et terrore omnia complet [9].

---

(1) Cfr. apud Iordan *op. cit.* p. 37, frag. *De sumtu suo* et p. 64 *De innocentia sua* ; Liv. XXXII, 27, 4; Plut *op. cit.* VI, 1. 2.

(2) Corn. Nep. *op. cit.* 1, 1; Liv. XXXIII, 43, 1; Plut. III, 2. X, 1.

(3) Liv. XXXIII, 43, 2. 5. Appian. *Hispan.* XXXIX ed. Bekker.

(4) Liv. XXXIII, 44, 1. XXXIV, 44, 1.

(5) Liv. XXXIV, 1, 5; Valer. Max. IX, 1, 3. ad Halm; Zonar. IX, 17 ed. dindorf. De hac oratione videsis quae dixi in part. II. cap. I, *De orationibus.*

(6) Cfr. frag. 6 Catonianae orationis, *Dierum dictarum de consulatu suo* apud Iordan *op. cit.* p. 33, sq. « Laudant me maximis laudibus, tantum navium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem comparare potuisse, id tamen maturrime [me] comparavisse.

(7) Cfr. *ibid.* frag. 9. « Ita nos fert ventus ad primorem Pyrenaeum, quo proicit in altum ».

(8) Cfr. *ibid.* frag. 8. « Deinde postquam Massiliam praeterimus, inde omnem classem ventus auster lenis fert, mare velis florere videres. ultra angulum Gallicum ad Illiberim adque Ruscinonem deferimur. inde nocte altera profecti sumus ».

(9) Liv. XXXIV, 8. 9.

Interea Bilistages Ilergetum regulus, tres legatos, in quibus erat unus filius eius misit, qui praesidium peterent, castellis suis oppugnatis [1]. Et cum Cato respondisset exercitum se dividere non posse, hostium copias haud procul abesse, flentes ad genua consulis provolvuntur legati: potuisse cum ceteris decedere fide, coniurare si voluissent, nihil usquam in terris aliud spei habere, si ab Romanis repulsi forent. Postridie quam consul legatos sine responso dimiserat, cum deserere socios et exercitum minuere nollet, sociis spem pro re ostentandam censet. Idcirco tertia militum parte cibum coquere et naves expedire iussa, copias se missurum pollicetur. Cum milites iam naves conscendissent, duos ex legatis, filio reguli comiter ac muneribus apud se retento, mittit ad Bilistagem. Quibus profectis, suos ex navibus revocat. Propterea Ilergetibus famar omani auxilii adventantis, animum addit, hostibus metum [2].

Ubi tempus anni appetebat, quo res geri possent, castra hiberna tria milia passuum ab Emporiis posuit; deinde per occasiones praedatum milites in hostium agros educens, magis magisque expeditum ac formidolosum exercitum habebat. Convocatos suos ad virtutem prodendam oratione adhortatur [3].

Ut primum illuxit, instructa acie, tres cohortes sub ipsum vallum mittit ad barbaros simulatione fugae eliciendos. Nec eum spes fefellit. Erumpunt illi et quantum inter castra sua et aciem hostium relictum erat loci, armatis complent. Tunc vero consul incompositos adgreditur. Anceps ab initio pugna fuit; deinde ut ad gladios redierunt, veluti redintegrata pugna, cominus vulnerantibus in virtute spes sita. Cato suis iam fessis, integros in pugnam accendit, qui hostem acri impetu perculsum fugant.

Hisce peractis, ad castra hostium oppugnanda succedunt. Sed consul licet castra fortiter defenderentur, ubi ad sinistram portam infrequentes videt, ea secundae legionis principes hastatosque inducit. Impetum non sustinuit statio. Hostes Romani caedunt, castra diripiunt. Spoliis onustos in castra reducit suos Cato, et postquam satis quieti datum ad praedandum impellit. Emporitani Hispani,

---

(1) Cfr. apud Iordan l. c. frag. 14 « Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque [mitterentur]. nam ita dicunt palam necessum esse obcursatum [eamus].

(2) Liv. XXXIV, 11. 12.

(3) Cfr. apud Iordan l. c. frag. 13 « ... Sed ubi anni tempus venit, castra hiberna... » Liv. XXXIV, 13.

accolaeque eorum hesterna clade et populatione compulsi se dediderunt; multosque aliarum civitatium, qui Emporias in deditionem confugerant, Cato benigne habuit, vinoque et cibo curatos dimisit. Castris inde motis, cum Tarraconem venit, omnis cis Iberum Hispania perdomita a Romanis erat.

Ad famam pervulgatam de consule in Turdetaniam cum exercitu ituro, septem Bergistanorum castella defecerunt, quae facile Cato in potestatem redegit. Cum vero haud ita multo post iterum defecissent, subacti omnes sub corona venierunt [1]. Ceteras quoque civitates idem ratus facturas, consul omnibus cis Iberum Hispanis arma ademit. Quamobrem complures vitam sine armis intolerandam existimantes, per ferociam sibi mortem consciverunt. Quod ubi rescivit Cato, senatores omnium civitatium ad se vocavit eo ferme consilio ut eos mollius haberet. Tacentibus spatium ad deliberandum dierum paucorum dedit. Cum revocati secundo quoque concilio tacuissent, uno die moenia dirui voluit; et omnes qui circum incolebant populos in deditionem accepit. Segestica gravis atque opulenta civitas, vineis ac pluteis capta [2].

Interim Turdetani, licet omnium Hispanorum maxime imbelles haberentur, decem milibus Celtiberorum mercede conductis, P. Manlio praetori negotium facessebant. Is igitur consulem litteris arcessivit, qui extemplo levibus proeliis semper superavit Turdetanos [3]. Celtiberis vero seorsum castrametatis, per tribunos plebis condiciones obtulit. Sed post varios dies ad consultandum datos, cum Cato in pugnam elicere hostem non potest, agros depopulatur; deinde ad oppugnandam Seguntiam pergit, ubi sarcinas, impedimentaque omnia Celtiberorum relicta audiverat.

Postquam ne hoc quidem consilio moventur, suis praetorisque militibus stipendio persoluto, et magna exercitus parte Manlio relicta, cum septem cohortibus ad Iberum regressus est [4]. Tum defecerunt ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani. Hinc ad oppidum Lacetanorum, deviae et silvestris gentis, oppugnandum ducit romanas cohortes et sociorum iuventutem, ob depopulationes illis infensam. Quadringentos inde ferme passus cohortes collocat. Suessetanos

---

(1) Liv. XXXIV, 14-16.

(2) Liv. XXXIV, 17.

(3) Cfr. apud Iordan *op. cit.* p. 35 frag. 18 « Itaque porro in Turtam proficiscor, servatum illos » et 19: « Inde pergo porro ire in Turtam ».

(4) Liv. XXXIV, 19.

murum subire iubet. Quorum ubi arma ac signa Lacetani cognovere, veluti in agris persultaturi, patefacta subito porta, universi erumpunt. Arrepta tum Cato occasione, cohortes supra memoratas in urbem induxit: redeuntes Lacetanos, qui nihil, urbe capta, praeter arma habebant, in deditionem accepit [1].

Confestim ad Vergium castrum proficiscitur praedonum receptaculum. Princeps Vergestanus apud consulem se suosque purgavit, affirmans praedones totum castrum suae potestatis fecisse. Cato dum muros se subiturum dixit, hunc iussit arcem extemplo cum popularibus occupare. Ita terror ingens praedones invasit, de quibus consul supplicium sumpsit [2].

Plures urbes, ut ait Plutarchus, a se captas asseverabat Cato, quam dies in Hispania degisset [3]. Pacata igitur provincia magna ex ferrariis argentariisque vectigalia instituit. Ob hasce res gestas supplicationem in triduum patres decreverunt [4]. In triumpho tulit argenti infecti viginti quinque milia pondo, bigati centum viginti tria milia, Oscensis quingenta quadraginta, auri pondo mille quadringenta. Singulis militibus ducenos septuagenos aeris, equiti triplex e praeda divisit [5]. Ad ipsum vero nihil prorsus rediisse dicitur [6]. Biennio post quam voverat, aediculam Victoriae Virgini prope aedem Victoriae dedicavit [7].

---

(1) Liv. XXXIV, 20.

(2) Liv. XXXIV, 21.

(3) Plut. *op. cit.* X, 2.

(4) Liv. XXXIV, 21.

(5) Liv. XXXV, 46.

(6) Plut. *op. cit.* X, 3: « Εἰς δ'αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε. « Καὶ οὐκ αἰτιῶμαι » φησὶ « τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἀμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας ». Cfr. apud Iordan *op. cit.* p. 37, orationem *de sumtu suo.*

(7) In Hispania quoque reliquisse Catonem rerum gestarum documentum quidam affirmant (cfr. e. gr. A. Popma, *M. P. Catonis de r. r. lib. et frag. quae supersunt*, Franekerae 1620 p. 199-200) hanc referentes inscriptionem nunc ab Aemilio Hübner (*Corpus Inscr. lat.* Berolini 1869, vol. II. pag. 19) inter *falsas vel alienas* receptam. Cfr. Maians *op. cit.* p. 15.

PALLADI VITRICI SACRVM, HIC HOSTIVM
RELIQVIAS PROFLIGAVIT CATO VBI ET SACEL-
LVM MIRO ARTIFICIO STRVCTVM ET AEREAM
PALLADIS EFFIGIEM RELIQVIT. PAREANT ERGO
ET NOSCANT OMNES SENATVS ET P. ROM.
IMPERIVM DEOR. NVMINE ET MILITVM FOR-
TITVDINE ET TVERI ET REGI.

Quamquam prolixius fortasse de rebus a Catone gestis in Hispania disserui, non abs re tamen erit iudicium rescribere Titi Livii, quod dictis veluti cumulus accedet: « Cato eo maiorem habebat difficultatem in subigendis hostibus quam qui primi venerant in Hispaniam, quod ad illos taedio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant, huic ex usurpata libertate in servitutem veluti adserendi erant, et ita mota omnia accepit, ut alii in armis essent, alii obsidione ad defectionem cogerentur, nec nisi in tempore subventum foret, ultra sustenturi fuerint, sed in consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret, nec cogitaret modo imperaretque quae in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret, nec in quenquam omnium gravius severiusque quam in semetipsum imperium exerceret, parsimoniis et vigiliis et labore cum ultimis militum certaret, nec quicquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium haberet [1] ».

Triumpho deportato, aliter ac plerique, qui postquam consulatum et triumphum adepti sunt, procul a re publica aetatem agunt otio et voluptatibus affluentes, ipse amicis et civibus patrocinio impensius aderat ac militiae munera per se volens obibat [2].

An. 560-194, ut narrat Plutarchus [3], Ti. Sempronio consuli ad Istrum bellanti, legatus consularis adiumento fuit; et paullo post (an. 563-191) tribunus militum depugnavit adversus Antiochum apud Thermopylas cum M.' Acilio Glabrione consule; quo non aliud formidolosius fama bellum fuit [4]. Antiochus omni prope Asia recepta, quam Seleucus Nicator habuerat, multisque et bellicosis barbarorum gentibus superatis, romanae quoque potentiae spe atque animis inflatior inhiabat. Honestam igitur belli causam commentus, ad Graeciam liberandam copias in Europam traiecit. Extitere subito in Graecia motus, animique ad expectationem erecti res novas moliebantur. Interim consul sedandis tumultibus legatos misit, ex quibus Cato fuit, qui Corinthios, Patrenses, Aegiensesque Romanis conciliavit. Hoc ferme tempore Athenis diversatus, in Antiochum orationen habuit [5].

---

(1) Liv. XXXIV, 18.

(2) Plut. *op. cit.* XI, 3.

(3) Plut. *op. cit.* XII, 1.

(4) Cic. *De senect.* X, 32; Plut. *op. cit.* XII, 1. Σύγκρ. II, 2; Flor. *Epit.* I, 24, 2; A. Vict. l.c.

(5) Plut. *op. cit.* XII, 1-3 — Drumann *op. cit.* p. 108 scribit Catonem Athenis commoratum fuisse post bellum, dum Romam reverteretur victoriam nuntiaturus; sed hoc fieri non poterat, si fides adiungenda est Livio qui (XXXIV, 21) ait Catonem « ingenti cursu » Romam pervenisse.

Haec dum agebantur non improspere a Romanis, Antiochus intra saltum Thermopylarum sese recepit et locum natura satis munitum, duplici vallo fossaque et muro ex lapidibus, quorum copia multa erat, circumsaepsit. Quattuor milia Aetolorum partim ad Heracleam ante ipsas fauces praesidio obtinendam, partim Hypatam misit; sed cum vastationes fieri coeptae essent circa ea loca, timor incessit Antiochum, ne quas per imminentia iuga calles inveniret ad transitum Romanus; per nuntium Aetolos idcirco iussit summos montes insidere. Verum, orta dissensione, pars Heracleae subsistendum censuerunt, pars autem Callidromum et Rhoduntiam et Tichiunta, montium cacumina, occupavere [1]. Consul ubi insessa superiora loca ab Aetolis videt, Valerium Flaccum in Rhoduntiam et Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit atque milites instructos in contionem advocat [2].

Cato, ducente captivo quodam, in loca invia et praerupta errans pervenit: tunc militibus requiescere iussis, cum L. Manlio homine ad scandendos montes expedito, quoad eius deprehendi poterat per tenebras noctis rupesque in altum eminentes, usque ad callem ad castra hostium declinantem explorat. Inde signis conspicuis in editiore loco positis, redit exercitum eo adducturus.

Ubi vero quo tendebat venit, militibus iam formidine haesitantibus, strepitum audire visus est; postea simul ac prima luce Graecorum castra conspiciebantur, agmen iubet sistere et Firmianis, quorum operam, fidem ac benevolentiam pluries expertus noverat, mandat ut sibi unum rapiant, qui suorum numerum, et apparatus ostendat. Dicto audientes Firmiani continuo per montes decurrunt; impressione in excubias facta, omnes perturbant ac dissipant, unumque deprehensum ad Catonem ducunt. Ex eo Cato rescivit illam esse stationem Aetolorum, numero sexcentos, et regem cum ceteris copiis intra fauces Thermopylarum in castris esse. Tum ilico, spreta hostium paucitate, ipse primus gladium stringens, milites clamantes in Aetolos deducit. At illi postquam Romanos ruentes vident, fugam ad regia castra capessunt, turbam atque trepidationem importantes [3]. Interea consul cum omnibus copiis subter adoriebatur angustias. Signis hostium conspectis ilico rex copias educit et acriter pugnat. Romani, quorum multi

(1) Liv. XXXVI, 16.
(2) Liv. XXXVI, 17.
(3) Plut. *op. cit.* XIII.

temere vallum subeuntes ceciderant, prope recessissent, ni Cato super imminentem collem apparuisset [1]. Antiochus lapide in os ictus, dentibus excussis, equum retro convertit. Tunc nulla suorum pars Romanos substinebat; veluti terrore obcaecati per invia loca, abrupta saxa, et profundas paludes se perdunt. Romani castra diripiunt et Scarpheam eodem die hostes persequuntur. Antiochus ipse cum paucis primo Elatiam, deinde Chalcidem atque Ephesum se recepit. Cato haud sane detrectator laudum suarum, magnam sibi partem victoriae tribuit, dictitans consulem prae gaudio gestientem se amplexum diu tenuisse [2].

Romam victoriae nuntius missus est Cato. Creusa Patras contendit, inde Corcyram Aetoliae et Acarnaniae litora legens, et ita ad Hydruntum traiecit. Quinto die Romam pedestri itinere quam celerrime pervenit res in Aetolia gestas expositurus. Supplicationem in ternos dies senatus decrevit, et ut quadraginta hostiis maioribus praetor quibus vellet diis sacrificaret [3].

Ex iis, quae hactenus narravi, manifesto colligitur, Catonem adeo strenuum ac peritum rei bellicae imperatorem fuisse, ut romanam virtutis famam tueretur [4]. Anno 565-189 censoriam dignitatem multi petierant: T. Quinctius Flamininus, P. Cornelius

---

(1) Liv. XXXVI, 18.

(2) Plut. *op. cit.* XIV, 1-3 — Ad hanc pugnam apud Thermopylas videntur pertinere orationis catonianae frag. 23-26 apud Iordan *op. cit.* p. 36. « Eam ego viam pedetemptim temptabam ..... Qui maximis vicibus ac vicissim ..... Recto fronte ceteros sequi si norit ..... Item uti ab Thermopyleis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disieci atque consedavi ». Ex hoc ultimo frag., ut ait Iordan *op. cit. proleg.* LXVII, fieri potest ut, aliquis Catonem suspicetur bello interfuisse a L. Scipione an. 564-190 adversus Antiochum in Asia continuato; cum praesertim id etiam videatur testari Cicero *Pro Murena* 14, 31 ed. Halm; « Atqui ex veterum rerum monumentis vel maximum bellum populum Romanum cum rege Antiocho gessisse video: cuius belli victor L. Scipio aequa parta cum Publio fratre gloria, quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso prae se ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine adsumpsit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis, proavi tui: quo ille, cum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video, nunquam esset profectus, si cum mulierculis bellandum arbitraretur ». Vollortsen *op. cit.* p. 31-32 id pro certo habet. Ipse autem aliter sentio, cum videam Catonis verba « tumultus ex Asia » pro « bellum a rege Antiocho ex Asia motum » dici potuisse. Praeterea, quando bellum a M.' Acilio Glabrione susceptum, insequenti statim anno a L. Scipione peractum est, facile Tullius, ambiguitatis causa, poterat adfirmare in loco a me supra relato, sub L. Scipione potiusquam sub M.' Acilio, *virtutem enituisse egregiam Catonis.*

(3) Liv. XXXVI, 21; Plut *op. cit.* XIV, 3; Appian. *De rebus Syr.* XIX.

(4) Cfr. Cic. *De orat.* III, 33, 135. ed. Pid. *Brut.* 85, 294. *Pro Archia* 16 ed. Halm; Corn. Nep. *op. cit.* 3, 1; Liv. XXXIX, 40, 6. XLII, 34, 7; Plin. *N. H.* VII, 7, 10.

Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M.' Acilius Glabrio, de quo supra dixi. Cum aegre nobiles paterentur hunc sibi novum hominem praeferri, cui ob multa congiaria favebat populus, P. Sempronius Gracchus, et C. Sempronius Rutilus tr. pl. diem illi dixerunt, quod pecuniae praedaeque regiae partem sustulisset. Testibus adnumerabatur Cato, qui adversus Glabrionem dixit se multa aurea et argentea vasa cum praeda regia vidisse in triumpho sublata. Glabrio, ut videtur [1], quattuor orationibus a Catone lacessitus, petitione destitit [2]. Qua quidem in re inique se gessit Noster ; nam quae antea tacuerat, tunc solum utilitatis suae causa aperiebat.

Censores creati sunt ea tempestate T. Quinctius Flamininus et M. Claudius Marcellus [3]. Eodem anno in bello Ambraciensi Cato fuit legatus consularis M. Fulvio Nobiliori, qui ob res in Aetolia Cephalleniaque gestas [4] Romam reversus petiit a patribus ut sibi triumphum decernerent. Tum Cato Fulvium accusavit quod milites, levissimis de causis, per ambitum coronis donasset [5]. Catone etiam auctore Petillii quidam tr. pl. in senatu efflagitabant ut P. Cornelius Scipio Africanus, qui fratri suo legatus in provincia fuerat, pecuniae Antiochinae praedaeque in eo bello captae, rationem redderet ; sed Scipio librum, in quo rationes scriptas esse aiebat, palam discidit suis manibus et concerpsit, aegre passus, quod, cui salus rei publicae accepta esset referenda, sublatae pecuniae ratio posceretur [6]. Post eius mortem, Petillii rogaverunt ut de pecunia quae capta, ablata, coacta ab rege Antiocho in publicum relata non erat, praetor urbanus ad senatum referret [7]. Cato suasit rogationem [8]; Scipio, A. Hostilius legatus et C. Furius damnati [9].

---

(1) Cfr. Quae dixi in part. II, cap. I. *De orationibus.*

(2) Liv. XXXVII, 57.

(3) Liv. XXXVII, 58.

(4) Liv. XXXVIII, 1-12.

(5) A. Gell. *N. A.* V, 6, 24, Cfr. part. II. cap. I. Orationem *in M. Fulvium Nobiliorem.*

(6) A. Gell. IV, 18, 7-11; Plut. *op. cit.* XV, 1-2. Apud Gell. IV, 18, 3-7 aliud insuper legitur exemplum « eius fiduciae atque exsuperantiae ingentis » cum accusatus est a M. Naevio tr. pl.; sed Cato in hac re non nominatur.

(7) Liv. XXXVIII, 54, 1-3.

(8) Cfr. in part. II, cap. I, orationem *De pecunia regis Antiochi.*

(9) Liv. XXXVIII, 55, 5. Non est praetereundum iam Livianis temporibus alios alio abiisse scriptores in hisce rebus constituendis cfr. Liv. XXXVIII, 56, 57.

Anno 570-184 censuram summa contentione complures petebant; sed omnes patricios plebeiosque M. Porcius Cato longe anteibat. Quamvis novi hominis tristem censuram periculosamque multorum famae aversaretur nobilitas, et nova ipse flagitia, priscos revocando mores, castigaturum se diceret, censor tamen creatus est ac L. Valerius Flaccus collega adiectus [1].

In primis Cato principem senatus collegam fecit et una cum eo septem senatores, in quibus L. Quinctium Flamininum, honoribus et nobilitate insignem, senatu movit. Huius rei causa haec prope fuit : Philippum Poenum, carum ac nobile scortum, Roma in Galliam provinciam secum perduxerat spe ingentium donorum; atque ibi in convivio cum per lasciviam cavillaretur puer, exprobrans consuli, quod sub tempus spectaculi gladiatorii, Roma esset abductus, nobilis Boius, transfuga venit cum liberis, praesens a consule fidem accepturus. Tunc calentibus iam vino animis, Flamininus ad Poenum conversus « quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, visne » inquit « hunc Gallum morientem videre? » Adnuente scorto, gladium strinxit et Gallo caput percussit; deinde fugienti ac fidem imploranti latus transfodit [2].

Manilium praeterea, consulem designatum, senatorum numero expunxit, quod interdiu, filia spectante, uxorem esset osculatus [3]. Movit etiam Claudium Neronem ob perditos mores [4] et, multa addita, L. Furium Purpureonem, ob aquam publicam in rem suam derivatam [5].

In equitatu recognoscendo, L. Veturio [6] et L. Scipioni Asiageni, unde factum est ut magnam sibi invidiam conflaverit Noster, equus ademptus [7].

---

(1) Cic. *De senect.* VI, 19. *De orat.* II, 64, 260; Corn. Nep. *op. cit.* 2, 2; Liv. XXXIX, 40, 41; Plut. *op. cit.* XVI. Σύγκρ. II, 1. 3; Aur. Vict. *op. cit.* XLVII.

(2) Liv. XXXIX, 42-43. - Cicero (*De senect.* XII, 42) non nobilem Boium occisum ait, sed quemdam ex iis qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Plutarchus vero (*op. cit.* XVII. Φλαμ. Βίος XVIII) etsi Ciceroni adsentitur, Flamininum tamen ait per ministrum securi hominem percussisse. Animadvertendum praeterea est Valerium Antiatem, qui ex Livii testimonio (XXXIX, 43, 1) Catonianam orationem non legerat, non puerum sed famosam mulierem, cuius amore deperiret Flamininus, in convivium arcessitam dixisse. Quod attinet ad orationem a Catone tunc temporis habitam in Flamininum, videsis in part. II, cap. I, *De orationibus.*

(3) Plut. *op. cit.* XVII, 5, cfr. in parte II, cap. I *De orationibus.*

(4) Cfr. in part. II, cap. I, *De orationibus.*

(5) Plut. XIX, 1; cfr. in part. II, cap. I, *De orationibus.*

(6) Cfr. in part II, cap. I, *De orationibus.*

(7) Liv. XXXIX, 44, 1; Plut. *op. cit.* XVIII, 1. Cfr. in part. II, cap. I. *De orationibus.*

In censibus quoque accipiendis acerrimus est visus. Cum ageret de uxoribus sollemne iusiurandum, L. Nasicam interrogavit: « ex animi tui sententia, tu uxorem habes? » « Non hercle » respondit ille « ex animi mei sententia ». Tum censor eum, quod intempestive lascivisset, in aerarios retulit, iocique scurrilis apud se dicti, hanc causam subscripsit [1].

Quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt censores [2]. Vestes, ornamenta muliebria et vehicula, quae pluris quam quindecim milium aeris essent, decies pluris in censum referre iuratores iussi [3], ad reprimendam luxuriam, quae iam tum incipiebat pullulare. Item mancipia minora annis viginti, quae post proximum lustrum decem milibus, aut eo pluris venissent, ut ea quoque decies tanto pluris quam quanti essent, aestimarentur, et his rebus omnibus terni in milia aeris attribuerentur, voluerunt censores, et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt; sed precibus et lacrimis publicanorum, locationes inductae [4], et quidam tr. pl. instincti sunt ut Catoni, ad populum accusato, duorum talentum multam irrogarent [5]. Tum ferme Cato se defendit oratione quae « ad litis censorias » inscribitur [6].

Ad haec, e pecunia in eam rem decreta lacus sternendos lapide, et cloacas, ubi opus esset, detergendas, in Aventino et alibi faciendas locaverunt. Verum Cato separatim atriis duobus, Maenio et Titio in lautumiis et quattuor tabernis in publicum emptis, Basilicam ibi aedificavit, quae Porcia est nuncupata [7].

Quamquam tristis atque aspera censura fuit Catonis, et simultatium plena [8], grata tamen contigit populo qui statuam ei posuit in aede Salutis cum hac inscriptione, quam graece vertit Plutarchus. « Ὅτι τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἐγκεκλιμένην καὶ ῥέπουσαν

---

(1) Cic. *De orat.* II, 64, 260; Gellius IV, 20, 1-7. — Quidam legunt L. Porcium Nasicam; sed perperam: cfr. Cic. *De orat.* ed. Piderit p. 490.

(2) Liv. XXXIX, 44, 4; Plut, *op. cit.* XIX, 1.

(3) Liv. XXXIX, 44, 2; Plut. *op. cit.* XVIII.

(4) Liv. XXXIX, 44, 7-8; Plut. *op. cit.* XIX, 2.

(5) Plut, XIX, 2.

(6) Cfr. in part. II, cap. I, *De orationibus.*

(7) Liv. XXXIX, 44, 7; Plut. *op. cit.* XIX, 2; A. Victor l. c. Cfr. in part. II, cap. I, *De orationibus.*

(8) Liv. XXXIX, 44, 9; Cic. *In Verrem*, V, 70, 180 ed. Halm.

ἐπὶ τὸ χεῖρον τιμητὴς γενόμενος χρησταῖς ἀγωγαῖς καὶ σώφροσιν ἐθισμοῖς καὶ διδασκαλίαις εἰς ὀρθὸν αὖθις ἀποκατέστησε [1] ».

Vitia omne genus, quae ex eius sententia, morum sanctitatem ac patriae salutem labefactarent, licet peracta censura, radicitus evellenda curabat. Propterea invectus primum est in luxuriam cenarum et mulierum, necnon in avaritiam superbiamque magistratuum romanorum in Gallia citeriore, cuius patronus cum P. Cornelio Scipione fuerat [2].

Hoc ferme tempore cum Eumenes Pergami rex, pluries a Romanis benigne exceptus, Macedonico bello se medium gessisset, lex lata est ne cui regi Urbis aditus pateret [3]; cuius quidem rei auctor fuisse creditur Cato, qui peraegre ferebat hominem asiatice effeminatum cum aulicis suis romanam severitatem emollire [4]. Dum vitia acerrimus insectaretur, mitis etiam nihilominus fuit, et complures, ut Macedones, Rhodios aliosque pro virili parte defendit [5].

In nulla tamen re maiorem Cato contentionem ostendit, quam adversus Carthaginienses. Cum post Hannibalem ad Zamam devictum, Carthaginienses, non amplius sui iuris, odia cum Massinissa et inimicitias exercerent, quod, favente populo Romano, sine modo modestiaque agrum depopularetur, quasdam urbes, vectigales Carthaginiensium, sibi coegisset stipendium pendere, oppida et castella vi atque armis possideret, legatos contentionibus diudicandis Romam ad senatum miserunt [6]. Romani autem, qui Massinissae studebant ut aemulam Romani imperii potentiam quodammodo cohiberet, questus Carthaginiensium segnius audiebant. Tandem cotidiano prope convicio efflagitati, legatos mittendos censuere, in quibus Cato fuit. Horum arbitrio se Massinissa libenter permisit, Carthaginiensibus contra abnuentibus [7]. Re igitur infecta Romam legati confestim redierunt. Et Cato cum Carthaginienses, non,

---

(1) *Op. cit.* XIX, 3.

(2) Cfr. in p. II, c. I, orationes: *Pro lege Orchia*, *Pro lege Voconia* et *Pro Hispanis*.

(3) Liv. XLII, 11. 14. *Epit.* XLVI.

(4) Plut. *op. cit.* VIII, 5 haec habet: « Εἰπόντος δέ τινος « Ἀλλὰ μὴν χρηστός ἐστι καὶ φιλορώμαιος » « Ἔστω » εἶπεν « ἀλλὰ φύσει τοῦτο τὸ ξῷον ὁ βασιλεὺς σαρκαφάγον ἐστίν ». Οὐδένα δὲ τῶν εὐδαιμονιζομένων ἔφη βασιλέων ἄξιον εἶναι παραβάλλειν πρὸς Ἐπαμινώνδαν ἢ Περικλέα ἢ Θεμιστοκλέα ἢ Μάνιον Κούριον ἢ Ἀμίλκαν τὸν ἐπικληθέντα Βάρκαν ».

(5) Videsis in part. II, cap. I, *De orationibus*.

(6) Liv. XLII, 23.

(7) Appian. *Pun.* LXIX.

ut Romani, putabant adflictos et labefactatos invenisset, sed copiosa iuventute, ingentibus divitiis, armorum et bellici instrumenti omni genere abundantes, delendam urbem illam in senatu pronuntiat. Quin immo precocem ex ea provincia ficum adlatum ostendens, patribus « interrogo vos » inquit « quando hanc pomum demptam putetis ex arbore? » Cum inter omnes recentem esse constaret « atqui tertium » respondit « ante diem, scitote decerptam Carthagine; tam prope a muris hostem habemus [1] ». Licet P. Scipio Nasica, cuius plurimum valebat auctoritas, bellum dissuaderet, tanto Carthaginis odio flagrabat Cato, ut quotiescumque in senatu sententiam diceret, cum hisce fere verbis orationem concluderet; « censeo delendam esse Carthaginem [2] ».

Bello decreto, patres occasionem opperiebantur [3]. Paullo post cum Romae per legatos nuntiatum esset Carthaginienses infesto in Romanos animo, exercitum atque classem adornare [4], vicit in senatu sententia Catonis [5] et bellum indictum (an. 604-150), quod contra foedus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio atque amico populi Romani, Massinissae, arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent [6]. Sed belli initio (an. 605-149) diem supremum

---

(1) Cic. *De senect.* VI, 18; Plut. *op. cit.* XXVI-XXVII; Plin. *N. H.* XV, 18, 20. ed. Detl.

(2) « Ἐκεῖνο δ' ἤδη καὶ βιαιότερον, τὸ περὶ παντὸς οὐ δήποτε πράγματος γνώμην ἀποφαινόμενον προσεπιφωνεῖν οὕτως « Δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι. » Τοὐναντίον δὲ Πόπλιος Σκηπίων ὁ Νασικᾶς ἐπικαλούμενος ἀεὶ διετέλει λέγων καὶ ἀποφαινόμενος « Δοκεῖ μοι Καρχηδόνα εἶναι. » Πολλὰ γάρ, ὡς ἔοικεν, ὕβρει τὸν δῆμον ὁρῶν ἤδη πλημμελοῦντα καὶ δι' εὐτυχίαν καὶ φρόνημα τῇ βουλῇ δυσκάθεκτον ὄντα καὶ τὴν πόλιν ὅλην ὑπὸ δυνάμεως ὅπη ῥέψειε ταῖς ὁρμαῖς βίᾳ συνεφελκόμενον, ἐβούλετο τοῦτον γοῦν τὸν φόβον, ὥσπερ χαλινὸν ἐπικεῖσθαι σωφρονιστῆρα τῇ θρασύτητι τῶν πολλῶν, ἔλαττον μὲν ἡγούμενος ἰσχύειν Καρχηδονίους τοῦ περιγενέσθαι Ῥωμαίων, μεῖζον δὲ τοῦ καταφρονεῖσθαι. Τῷ δὲ Κάτωνι τοῦτ' αὐτὸ δεινὸν ἐφαίνετο, βακχεύοντι τῷ δήμῳ καὶ σφαλλομένῳ τὰ πολλὰ δι' ἐξουσίαν πόλιν ἀεὶ μεγάλην, νῦν δὲ καὶ νήφουσαν ὑπὸ συμφορῶν καὶ κεκολασμένην ἐπικρέμασθαι, καὶ μὴ παντάπασι τοὺς ἔξωθεν ἀνελεῖν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας φόβους, ἀναφορὰς αὐτοῖς πρὸς τὰς οἴκοθεν ἁμαρτίας ἀπολιπόντας ». Plut. *op. cit.* XXVII; Flor. II, 15, 4. - Vollertsen *op. cit.* p. 35 ex fragmento orationis a Catone habitae *De bello Karthaginiensi* (cfr. in part. II, cap. I, *De orationibus*) « Aures nobis calliscerunt ad iniurias » evincit legatos Romanos a Carthaginiensi plebe per insolentiam fuisse iniuriis affectos. Sed non improbabili coniectura, in senatum ea verba Catonem dixisse puto, cui adversabantur complures, praesertim Nasica, quia eadem semper acriterque in Carthaginem proferendo iniuria ipse fere dignus evaserat.

(3) Appian. *Pun.* LXIX.

(4) Liv. *Epit.* XLVIII.

(5) « Cuius (Catonis) prius consilio quam Scipionis imperio deleta Karthago est ». Valer Max. VIII, I5, 2; Plut. *op. cit.* XXVI, 1. XXVII, 3.

(6) Liv. *Epit.* XLIX.

obiit Cato [1], postquam illud profligatum iri praedixisset a Scipione qui deinde Africanus minor est appellatus [2].

Prius vero quam Carthaginiensibus bellum indiceretur, Athenienses tres nobilissimos philosophos Romam legaverunt: Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum, qui a senatu impetrarent, ut sibi multam, talentum fere quingentorum, remitteret propter Oropi vastationem irrogatam [3]. Cum senatus variis occupationibus districtus non daretur, philosophi, in suo quisque genere excellentes, sive ostentationis causa, sive comparandis fautoribus, publice dissertaverunt. Diogenes modesta et sobria oratione utebatur; Critolaus scita ac tereti; anteibat vero divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades, qui nullam unquam in illis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit [4]. Ad illos audiendos, praesertim ad Carneadem, Romana iuventus cum incredibili quodam discendi studio flagraret, itabat frequentissima [5]. Ast ubi fama percrebuit, eorumque sermones ad senatum C. Acilius v. cl. latine est interpretatus, atque Carneadem, non minoribus viribus contra iustitiam, quam pridie pro iustitia, disserentem audivit Cato, ab urbe dimittendos Graecos philosophos censuit [6].

In causam inquirenti ob quam Cato et Romanorum complures a philosophia abhorruerint, haec mihi semper potissima visa est. Cum Romani ita essent natura comparati, ut ex Pacuvii testimonio,

---

(1) Cfr. pag. 9 n. 2 — Zonaras IX, 26, 3, Catonem existimat Carthaginis excidio superfuisse; verum eius testimonio refragatur Cic. *Brut.* 15, 61. 20, 8; Plin *N. H.* XXIX, 8, 15; *Vellei. Paterc.* I, 12, 7 ed. Haase; Plut. *op. cit.* XXVII, 3.

(2) Cic. *De senect.* VI, 19; Plut. *op. cit.* XXVII, 3.

(3) Cic. *De orat.* II, 37, 155. 38, 160. *Tuscul.* IV, 3 ed. Heine; Gell. VI, 14, 8, XVII, 21, 48; Plut. *op. cit.* XXII, 1.

(4) Cic. *De orat.* I, 11, 45. II, 38, 160. III, 18, 68; Gell. VI, 14, 10.

(5) Cic. *De orat.* II. 37, 155; Plut. *op. cit.* XXII, 1-2.

(6) « Cato Censorius in illa nobili trium sapientiae procerum legatione ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit dimittendos; quoniam illo viro argumentante, quid veri esset haud facile discerni posset e. q. s. » Plin. *N. H.* VII, 3; Quintil. XII, 1, 35 ed. Bonnel; Plut. *op. cit.* XII, 2-4. Cfr. in part. II, cap. I, quae dicuntur de oratione adversus Carneadem a Catone habitam. — Longe a Catonis sententia abiit Cicero *De orat.* III, 21, 80. « Sin aliquis extiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognotis, explicare aut hoc Arcesilae modo et Carneadi contra omne, quod propositum sit, disserat, quique ad eam rationem adiungat hunc usum exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator ».

« homines oderint ignava opera et philosopha sententia [1] » in castrensi, paene dixerim, studiorum asperitate elaborarunt, a philosophicis contemplationibus abhorrentes, quibus Graeci longe praestarent. Accedebant praeterea quorundam sophistarum novitates, qui « operti barba et pallio, mores et emolumenta philosophiae in linguae verborumque artes converterent et vitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes [2] ». Quod si aliquatenus de omnibus fere Romanis dici potest ea tum tempestate nimis rudibus necdum Graeca disciplina expolitis, de Catone in primis affirman dum existimo, qui omnia repudiaret, quae a maiorum consuetudine recederent.

Nec philosophos tantum sed poetas quoque oderat Noster, hisce enim avocationibus militaris disciplina, quae prae ceteris excocolenda a Romanis erat, emolliri quodammodo videbatur. Propterea, mea quidem sententia, M. Fulvium Nobiliorem redarguit, quod secum in Aetoliam Ennium poetam duxisset [3].

Cum audivisset Hippocratem a Persarum rege magna mercede arcessitum, nunquam se barbaris Graecorum hostibus arte sua adfuturum dixisse, inexpiabili odio in medicos flagravit Cato, ut ex hoc praecepto ad filium colligitur: « Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, vincam nequissimum et indocile esse genus illorum. et hoc puta vatem dixisse, quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia conrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede facient, ut fides iis sit et facile disperdant. nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos quam alios Opicon appellatione foedant. interdixi tibi de medicis [4] ».

---

(1) Apud Gell. XIII, 8, 4.

(2) Gell. XIII, 8, 5. *Ibid.* 1-4 haec autem habet: « Eximie hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda conparandaque sapientia opinatus, quod eam filiam esse Usus et Memoriae dixit. Eo namque argumento demonstrat, qui sapiens rerum esse humanarum velit, non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus comminus noscendis periclitandisque eaque omnia acta et eventa firmiter meminisse et proinde sapere atque consulere ex his quae pericula ipsa rerum docuerint, non quae libri tantum aut magistri per quasdam inanitates, verborum et imaginum, tamquam in mimo aut in somnio delectaverint. Versus Afrani sunt in togata, cui Sella nomen est:

Usús me genuit, máter peperit Mémoria
Sophiám vocant me Grái, vos Sapiéntiam ».

(3) Cfr. *Carmen de mor.* in p. II, c. IV, *De praeceptis*; et p. II, c. I, orat. *in M. Fulv.*

(4) Apud Iordan *op. cit.* p. 77; cfr. Plut. *op. cit.* XXIII, 2. 3.

Atqui in alios etiam invectus est, praesertim in Romanos, qui, patrio sermone posthabito, graece scriptiones suas exararent. In his fuit A. Postumius Albinus [1], qui licet cum laude quadam a Tullio Romanis oratoribus adnumeretur [2], graece tamen historiam scripsit, in cuius principio, ne quis suscenseret, petebat, si quid in libris parum composite, aut minus eleganter dixisset ; « nam sum » aiebat « homo Romanus, et Graeca oratio a nobis est alienissima ». Quae cum legisset Cato « ne tu » inquit « Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus , aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulsi peccavimus. Tibi » inquit « oro te, quis perpulit, ud id commiteres, quod, priusquam faceres, peteres ut ignosceretur ? [3] »

Nec defuerunt qui Catonem, Graeci sermonis inscitia, Graecorum ingenio litterisque infensum dicerent. Quae quidem falsa opinio, ex eo fortasse manavit quod Graecos etiam atque etiam incesserit Cato, et Latini scriptores [4] locutionem « *Graecas litteras* (Cato in senectute arruipit) » pro « *Graecam linguam* ... » usurpasse crediti sint. Ego autem, Catonem *Graecae linguae* ab adulescentia [5] operam dedisse arbitror, et senem dumtaxat *Graecas litteras*, sive

---

(1) Cfr. Krause *op. cit.* p. 127; H. Peter *Histor rom. relliq.* Lipsiae 1874, vol. I, pag. CXXIV.

(2) *Brut.* 21, 81; « Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus, is qui graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit ».

(3) Gell. XI, 8; Macr. *Saturn.* I, praef. 15, ed. Eyssenhardt; Polyb. XL, 6, ed. Dindorf; Plut. *op. cit.* XII, 4: « Ποστούμιον γοῦν Ἀλβῖνον ἱστορίαν Ἑλληνιστὶ γράψαντα καὶ συγγνώμην αἰτούμενον ἐπέσκωψεν εἰπών, δοτέον εἶναι τὴν συγγνώμην, εἰ τῶν Ἀμφικτυόνων ψηφισαμένων ἀναγκασθεὶς ὑπέμεινε τὸ ἔργον ».

(4) *De senect.* I, 2. VII, 26; Quintil. XII, 11, 23; Valer. Max. VIII, 7, 1 aliique.

(5) Plut. *op. cit.* II, 2 « Φαβίου δὲ Μαξίμου τὴν Ταραντίνων πόλιν ἑλόντος, (an. 545-209) ἔτυχε μὲν ὁ Κάτων στρατευόμενος ὑπ' αὐτῷ κομιδῇ μειράκιον ὤν, Νεάρχῳ δέ τινι τῶν Πυθαγορικῶν ξένῳ χρησάμενος ἐσπούδασε τῶν λόγων μεταλαβεῖν. Ἀκούσας δὲ ταῦτα διαλεγομένου τοῦ ἀνδρὸς, οἷς κέχρηται καὶ Πλάτων, τὴν μὲν ἡδονὴν ἀποκαλῶν μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, συμφορὰν δὲ τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα πρώτην, λύσιν δὲ καὶ καθαρμὸν οἷς μάλιστα χωρίξει καὶ ἀφίστησιν αὐτὴν τῶν περὶ τὸ σῶμα παθημάτων λογισμοῖς, ἔτι μᾶλλον ἠγάπησε τὸ λιτὸν καὶ τὴν ἐγκράτειαν ». Serius autem (a. 563-191) trib. mil. sub M.' Acilio Glabrione, ut ex eodem Plutarcho *op. cit.* XII, 3 colligitur, « Πλεῖστον δὲ χρόνον ἐν Ἀθήναις διέτριψε. (Cfr. ipsius Catonis verba a me supra relata : « Dicam de istis Graeci ... quid Athenis exquisitum habeam ... ») Καὶ λέγεται μέν τις αὐτοῦ φέρεσθαι λόγος, ὃν Ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν δῆμον εἶπεν, ὡς ξηλῶν τε τὴν ἀρετὴν τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων τῆς τε πόλεως διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος ἡδέως γεγονὼς θεατής· τὸ δ' οὐκ ἀληθές ἐστιν, ἀλλὰ δι' ἑρμενέως ἐνέτυχε τοῖς Ἀθηναίοις, δυνηθεὶς ἂν αὐτὸς εἰπεῖν, ἐμμένον δὲ τοῖς πατρίοις καὶ καταγελῶν τῶν τὰ Ἑλληνικὰ θαυμακότων ».

Litteraturam excoluisse [1]. Sed cur, a me nunc petet quisquam, Graecos oderat, quorum plerosque in maxima semper existimatione habitos comperimus? Si meam hic licet sententiam aperire, adfirmare non dubitabo Catonem non Graecos in universum, sed sentinam illam ardelionum despexisse, quos Iuvenalis, graphice, more suo, prae ceteris expressit:

« Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus et Isaeo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes: quem vis hominem secum adtulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit
Graeculus esuriens: in caelum iusseris, ibit [2] ».

Huc etiam accedit quod tam anxius Cato esset Romanae maiestatis, ut nullomodo eam pateretur imminui. Quo fiebat ut in rebus omnibus scriptisque vere Romanus evaderet, more veterum magistratuum qui semper et ubique latina lingua utebantur [3]. Quoquo modo autem haec accipiant nonnulli recentiores, qui ex aetatis nostrae iudicio, antiquissima aestimant, Cato tantum in populo

---

(1) Plut. *op. cit.* II, 3 « Ἄλλως δὲ παιδείας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθὴς γενέσθαι λέγεται, καὶ πόρρω παντάπασιν ἡλικίας ἐλληλακὼς Ἑλληνικὰ βιβλία λαβὼν εἰς χεῖρας κ. τ. λ. » Corn. *op. cit.* 3, 2. « (Cato) cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum ». Ita etiam intellegitur cur Valer. Max. VIII, 7, 1 adfirmaverit Catonem non Graecas tantum sed Latinas quoque litteras in senectute didicisse. Etiam in senectute, ut dixi, audivit Carneadem graece disputantem, et historiam A. Postumii Albini pervolutavit. De versibus autem homericis (*Odyss* X, 495. IX, 216 sq. cf. Plut. *op. cit.* IX, 2. XXVII, 2) a Catone citatis, non attinet hic dicere; illis enim temporibus, Odyssea a Livio Andronico latine reddita, studiosorum manibus terebatur.

(2) Sat. III, 70 sq. ed. Weidner.

(3) Valer. Max. II, 2, 2 « Magistratus vero prisci quantopere suam populique Romani maiestatem retinentes se gesserint hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendae gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis umquam nisi latine responsa darent. quin etiam ipsos linguae volubilitate, qua plurimum valent, excussa per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia et Asia, quo scilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, nec illis deerant studia doctrinae, sed nulla non in re pallium togae subici debere arbitrabantur, indignum esse existimantes inlecebris et suavitati litterarum imperii pondus et auctoritatem donari ». Ita etiam se gessit Cato, ut paullo ante innuebam, Athenis.

Romano virium inesse sentiebat, ut auxilium, germanae magnitudinis detrimento, aliunde expetendum non arbitraretur. Et re quidem vera, quamquam haud pronum est adfirmare utrum Romanorum ingenium sibi relictum, ea quae omnium sermone existimantur, fuisset editurus necne, quidpiam inde tamen, sine dubio, exstitisset, quod sincerum illud populi Romani castrense robur retineret.

Dum quod pertinet ad aliquot orationes a Catone habitas de industria praetereo, lectorem delegans ad insequentem huiusce operis partem, temperare mihi non possum, quin mentionem iniciam de oratione quam Cato, paucis, antequam mortuus est, diebus an mensibus [1] contra Serv. Galbam, qui diripuit Lusitanos [2] summa contentione ad populum dixit. Unde colligitur, mea quidem sententia, Catonem usque ad senectutem, quae nunquam illi gravis fuit, omnimo viguisse [3]. Et quemadmodum Dionysio persuaserat quisquam optimum esse in tyrannide mori, ita Noster enitebatur in rei publicae procuratione senectutem transigere [4].

Effigies eius ad generis officia curia expromebatur [5].

Fuit Cato facie subrufa et caesia, ut satis acerbe in epigrammate quodam depingitur [6]

Πυῤῥὸν, πανδακέτην, γλαυκόμματον, οὐδὲ θανόντα
Πόρκιον εἰς ἀΐδην Φερσεφόνη δέχεται.

Firma etiam valetudine utebatur ac viribus, quas temperantia et exercitatione roboraverat [7]. Quo tempore res publica, prisca severitate exuta, otio et voluptatibus enervaretur, Tusculanus mirabile laboris et parsimoniae exemplum praebebat. Nam raro admodum invenisses qui, ut Noster, ex maiorum consuetudine, agrum ipse

---

(1) Cic. *Brut.* 23, 89. 20, 80. Cfr. in part. II. cap. I *De orationibus.*
(2) Corn. Nep. *op. cit.* 3, 4.
(3) Valer. Max. VIII, 7, 1; Plut. *op. cit.* IV.
(4) Plut. *op. cit.* XXIV, 6; Cic. *De senect.* VI.
(5) Valer. Max. VIII, 15, 2. Aur. Vict. l. c.
(6) Plut. *op. cit.* I, 3.
(7) Plut. *ibid.*; Liv. XXXIX, 40. Cfr. pag. 9 n. 4.

suum coleret, frugali cena, vili veste[1] et vulgari habitatione contentus[2].

Uxorem praeclaro genere ortam duxit, eam ratus a turpitudine abhorrentem et marito facile obnoxiam. Ipse maritus bonus quam magnae existimationis senator esse malebat; uxorique semper aderat diligentissimus, vel cum natum lavaret, aut fasciolis involveret. Ut vero adolevit, litteris hunc pater mature erudivit: in equitando et digladiando, in caloris frigorisque patientia, in periculis omne genus adeundis, tam promptum atque exercitatum eum reddidit, ut in Persico bello se egregie praestiterit hoc modo: dum inter confertissimos hostes dimicat, equo delapsus, pedestre proelium adgreditur; nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore obtruncaturus circumstiterat. At ille citius corpore animoque collecto, magnas strages edidit. Cum ad unum opprimendum undique hostes convolarent, dum procerum quemdam petit, gladius ei e manu elapsus, in mediam cohortem hostium decidit: ad quem reciperandum umbone se protegens, inspectante utroque exercitu, inter mucrones se hostium immersit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad suos cum clamore hostium revertitur. Huius audaciam ceteri imitati, victoriam peperere[3].

Amissa uxore, licet iam aetate provectus, clientis sui filiam, hac de causa, in matrimonium duxit. Cum puella, qua Noster clam utebatur, aliquando filii cubiculum arroganter praeteriret, torve eam

---

(1) Plut. *op. cit.* IV, 2. 3 « Ἐσθῆτα μὲν γὰρ οὐδέποτέ φησι φορέσαι πολυτελεστέραν ἑκατὸν δραχμῶν ... Ἐπίβλημα δὲ τῶν ποικίλων βαβυλώνιον ἐκ κληρονομίας κτησάμενος εὐθὺς ἀποδόσθαι κ. τ. λ. ».

(2) Plut. *op. cit.* IV, 1. 2. 3. Σύγκρ. IV, 3; Gell. XIII, 24. « M. Cato consularis et censorius, publicisque iam privatisque opulentis rebus, villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praelitas fuisse dicit ad annum usque aetatis suae septuagesimum. Atque ibi postea his verbis utitur. « Neque » inquit « mihi aedificatio neque vasum neque vestimentum ullum est manupretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla. Siquid est » inquit « quod utar, utor, si non est, eg[e]o. Su[u]m cuique per me uti atque frui licet » Tum deinde addit « Vitio vertunt, quia multa egeo; at ego illis, quia nequeunt egere ».

(3) Plut. *op. cit.* XX; Iustin. XXXIII, 2 ed. Ieep; Cic. *De off.* I, 11, 36-37 ed. Heine: « Popilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum patitur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. — Adeo summa erat observatio in bello movendo. M. quidem Catonis senis est epistula ad M. filium, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caveat ne proelium ineat: negat enim ius esse qui miles non sit cum hoste pugnare ».

filius intuens tacuit. Cato igitur ubi intellexit commercium illud suis molestum accidere, confestim in forum descendit, ac Salonium quemdam, mulierculae patrem rogavit an cui filiam despondisset; at, illo negante « ego » inquit « idoneum tibi generum reperi, qui licet annis iam gravior, cetera est commodus ». Cui rem permissurus cum Salonius dixisset, Cato filiam eius in uxorem sibi postulavit. Obstupuit, ut par erat, ille, quia Tusculanus senior erat et ob rei publicae munera ac res optime gestas, eximie prae ceteris elucebat. Verum efflagitante Catone, nuptias pacti sunt. Hae vero dum parantur, filius patrem interrogavit, quanam sua iniuria, sibi novercam induceret; Tum Cato alta voce respondit: « bona verba, fili, nihil est quod in te reprehendam; sed vehementer expeto plures rei publicae filios, tui similes, suscipere ». Octoginta annos natus, ex ea filium uxore genuit, qui a matre Salonianus cognomento est appellatus. Eodem anno alter filius, praetor designatus obiit, cuius mortem Cato, ut philosophum decebat, aequo animo tulit[1].

(1) Plut. *op. cit.* XXIV; Plin. *N. H.* VII, 14; Gell. XIII, 20, 6 « Non unus autem, sed conplures M. illius Catonis Censorii nepotes fuerunt, geniti non eodem patre; duos enim M. ille Cato, qui et orator et censor fuit, filios habuit, et matribus diversos ed aetatibus longe dispares. Nam iam adulescente altero, matre eius amissa, ipse quoque iam multum senex, Saloni clientis sui filiam virginem duxit in matrimonium, ex qua natus est ei M. Cato Salonianus: hoc enim illi cognomentum fuit a Salonio, patre matris, datum. Ex maiore autem Catonis filio, qui praetor designatus, patre vivo mortuus est, et egregios de iuris disciplina libros reliquit (cfr. Maians *op. cit.* p. 81-82), nascitur hic, de quo quaeritur M. Cato, M. filius, M. nepos. Is satis vemens orator fuit multasque orationes ad exemplum avi scribtas reliquit et consul cum Q. Marcio Rege fuit, inque eo consulatu in Africam profectus, in ea provincia mortem obit. Sed is non, ita ut dixisti, M. Catonis, praetorii viri, qui se Uticae occidit et quem Cicero laudavit, pater fuit; nec, quia hic nepos Catonis Censorii, ille autem pronepos fuit, propterea necessum est, patrem hunc ei fuisse. Hic enim nepos, cuius haec modo prolata oratio est, filium quidem maiorem Catonem habuit; sed non eum, qui Uticae perit, sed qui, cum aedilis curulis et praetor fuisset, in Galliam Narbonensem profectus, ibi vita functus est. Ex altero autem illo, Censorii filio, longe natu minore, quem Salonianum esse appellatum dixi, duo nati sunt L. Cato et M. Cato. Is M. Cato tribunus plebis fuit et praeturam petens mortem obiit; ex eoque natus est M. Cato praetorius, qui se bello civili Uticae interemit, de cuius vita laudibusque, cum M. Tullius scriberet, pronepotem eum Catonis Censorii dixit fuisse. Videtis igitur hanc partem familiae, quae ex minore Catonis filio progenita est, non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre: nam quia ille Salonianus in estrema patris aetate, sicut dixi, natus fuit, prognati quoque ab eo aliquanto posteriores fuerunt, quam qui a maiore fratre eius geniti erant. Hanc temporum differentiam facile animadverteritis ex hac ipsa oratione, cum eam legitis. Haec Sulpicius Apollinaris audientibus nobis dixit, quae postea ita esse, uti dixerat, cognovimus, cum et Laudationes funebres et librum commentarium de familia Porcia legeremus ».

Etiamsi parce admodum cenam instruebat, festivitas tamen nunquam aberat. Quin et narratur, ruri cum esset, aliquanto lautius in senectute vixisse; amicisque ad convivium vocatis, gratus iucundusque sermone accidisse. Nec modo a senibus, sed a iunioribus quoque, ob multam rerum peritiam expetebatur; tunc saepenumero clarorum virorum facta laudabat, inproborum ne mentione quidem iniecta [1].

Odii causa, quo, ut supra dixi, adversus medicos flagrabat, praecepta concinnavit in usum domus suae aegrotorum, quos holeribus, carnibus anatis, aut palumbi, aut leporis enutriebat, hac se adfirmans ratione valetudinem sibi suisque diu conservasse [2]. Quibus sane praeceptis, fortasse non immerito irridet Plutarchus [3].

Nullum servum carius mille quingentis denariis emit, quod non molles aut formosos, sed qui validi et multi essent laboris, ut equisones bubulcique, praeverteret. Ex his autem parvos potiores habebat, quippe qui instar catulorum disciplinam facilius paterentur [4]. Servus alienam domum nisi a Catone aut eius uxore missus, non intrabat; rogatusque quid Cato ageret, nihil nisi nescire se respondebat. Domi aut agere debebat quidpiam aut dormire; nam somno recreati ad ministerium alacriores existimabantur. Eorum metuens consensum, occulte Noster dissidium alebat; et si quis morte

---

(1) « Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum, habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant — ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est fortasse quidam naturalis modus, — non intellego ne in istis quidem ipsis voluptatibus carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant a maioribus instituta et is sermo, qui more maiorum a summo adhibetur in poculo, et pocula, sicut in Symposio Xenophontis est, minuta atque rorantia, et refrigeratio aestate et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quae quidem etiam in Sabinis persequi soleo conviviumque vicinorum compleo, quod ad multam noctem quam maxime possumus vario sermone producimus », apud Cic. *De senect* XIV, 46; Plut. *op. cit.* XXV, 2.

(2) Plut. *op. cit.* XXIII, 3; Plin. *N. H.* XXIX, 8, 15 « Subicit qua medicina se et coniugem usque ad longam senectam perduxerit, profiteturque esse etiam commentarium sibi quo medeatur filio servis familiaribus ». Cfr. Iordan *op. cit.* p. 77-78.

(2) *Op. cit.* XXIV, 1 « Καὶ περί γε τοῦτο φαίνεται γεγονὼς οὐκ ἀνεμέσητος· καὶ γὰρ τὴν γυναῖκα καὶ τὸν υἱὸν ἀπέβαλεν. Αὐτὸς δὲ τῷ σώματι πρὸς εὐεξίαν καὶ ῥώμην ἀσφαλῶς πεπηγὼς ἐπὶ πλεῖστον ἀντεῖχεν κ. τ. λ. ». Alia etiam praecepta superstitionis plena, tradidit Noster in libro *De re rustica*, ut propediem patebit.

(4) Plut. *op. cit.* IV, 3. XXI, 1. 2.

esset dignus, coram omnibus servis necabatur. Ubi autem consenuissent aut morbosi evasissent [1], divendendos Cato censebat, neque alendos inutiles [2].

Dum iuvenis esset, operam agri culturae, necessitatis causa, navaverat, serius autem rure oblectabatur, huc potissimum spectans ut inde fructus perciperet qui, ut Plinius ait, quam minimo impendio essent constaturi [3]. Nec tantum, quod attinet ad agri culturam, immutatum in senectute Catonem comperimus; namque osor olim feneratorum acerrimus [4], postmodum ipse fenerator evasit.

Nec frugalitas et parsimonia domesticis tantum parietibus continebantur; sed etiam cum militaret et ob munera, quae obibat, aliquanto beatius vivere potuisset, eandem nihilominus severitatem, in Sabinis adhibitam, firmiter retinebat. Quod incredibile memoratu est quantopere contulerit ad augendam militarem disciplinam qua, veluti fundamento, Romanum nitebatur imperium [5]. Militiae ab adulescentia deditus mature corpus adversis vulneribus saucium gestabat [6]. In proelio fortis et pede stabilis erat atque hostem truci vultu intuebatur, horribili voce inclamans: aiebat enim tantum aspera voce atque audacia hostem terreri, quantum strenuis lacertis profligari; ac militem propterea repudiabat qui altius sterteret quam in bello fremeret [7].

---

(1) Plut. *op. cit.* XXI, 2. 3.

(2) Cfr. *De re rustica* II, 7 ed. Keil: « boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, lanam, pelles, plostrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et siquid aliut supersit, vendat, patrem familias vendacem, non emacem esse oportet », et *ibid.* 5 « cum servi aegrotarint, cibaria tanta dari non oportet » — Plut. *op. cit.* IV, 3, et V, ubi Catonem, inhumanitatis causa, acriter redarguit.

(3) *N. H.* VII, 5, 30; Plut. XXI, 3-4: « Ἁπτόμενος δὲ συντονώτερον πορισμοῦ τὴν μὲν γεωργίαν μᾶλλον ἡγεῖτο διαγωγὴν ἢ πρόσοδον, εἰς δ' ἀσφαλῆ πράγματα καὶ βέβαια κατατιθέμενος τὰς ἀφορμὰς ἐκτᾶτο λίμνας, ὕδατα θερμά, τόπους κναφεῦσιν ἀνειμένους, ἐργαστήρια, χώραν ἔχουσαν αὐτοφυεῖς νομὰς καὶ ὕλας, ἀφ' ὧν αὐτῷ χρήματα προσῄει πολλὰ μηδ' ὑπὸ Διός, ὡς φησιν αὐτός, βλαβῆναι δυναμένων ».

(4) Cfr. p. 12 et *De r. r.* praef. 1: « Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam pericolosum siet, et item fenerari, si tam honestum siet, maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli comdemnari, feneratorem quadrupli, quanto peiorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare »; et Cic. *De off.* II, 25, 89.

(5) Valer. Max. II, 7. 8 « Disciplina militaris acriter retenta principatum Italiae Romano imperio peperit e. q. s. ».

(6) Plut. *op. cit.* I, 5.

(7) Plut. *op. cit.* I, 6.

Verum enim vero non hostibus tantum, sed suis quoque, ob disciplinae severitatem, formidolosus erat Noster, ut ex historia cuiusdam Pacci, servi sui, manifesto apparet. Hic cum tres pueros e captivis emisset, Catonis conspectum, qui id resciverat, metuens, suspendio vitam finivit[1]. Ceterum nisi de virtute cum militibus certare, cibi potionisque desiderium, vigilias, laborem et pericula communia habere. In itineribus sua ipse arma gestabat, uno servo comitante, cui cenam apponenti numquam suscensuit[2], turpissimum ducens ventris causa cum servo contendere[3]. Immo militaribus officiis defunctus, illi saepenumero aderat[4]. Quod aliter profecto in senectute fiebat; nam si quid servi neglegentius apparassent, flagro puniebantur[5]. Cum in Hispaniam proficisceretur consul tres tantum servos ex Urbe duxit, quibus postea duos pueros addidit[6], eodem cibo ac vino, quo nautae utebantur, contentus. Dum exercitum duceret, sibi suisque tritici non plus tribus medimnis atticis in mensem sumpsit, in diem vero iumentis hordei infra medimnum cum dimidio[7]. Si, quod raro eveniebat, equo uteretur, vehebatur canterio, hippoperis impositis, ut secum utilia portaret[8]. Ast plerumque

---

(1) Plut. *op. cit.* X, 4.

(2) Plut. *op. cit.* I, 6. XXI, 2,

(3) Plut. *op. cit.* XXI, 2.

(4) Plut. *op. cit.* I, 6.

(5) Plut. *op. cit.* XXI, 2.

(6) Apuleius *De magia* 17 ed. Hild. hoc adfirmat Catonem dixisse in oratione sua cum in Hispaniam proficisceretur. Cfr. Fest. p. 169 ed. M.; Valer Max. IV, 3, 11: « Age, si quis hoc saeculo vir inluster pellibus haedinis pro stragulis utatur tribusque servis comitatus Hispaniam regat et quingentorum assium sumptu transmarinam provinciam petat, eodem cibo eodemque vino quo nautae uti contentus sit, nonne miserabilis existimetur? atqui ista patientissime superior Cato toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitae cum summa dulcedine continebat ».

(7) Plut. *op. cit.* VI, 1.

(8) Senec. *Epist.* XIII, 2, 9-11: « M. Cato Censorius, quem tam e republica fuit nasci quam Scipionem, alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, canterio vehebatur; et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via [divitibus] cursores et Numidas et multum ante se pulverem agentem! hic sine dubio cultior comitatiorque quam M. Cato videretur, hic, qui inter illos adparatus delicatos cummaxime dubitat, utrum se ad gladium locet an ad cultrum. O quantum erat seculi decus, imperatorem triumphalem, censorium [et] quod super omnia haec est, Catonem uno caballo esse contentum et ne toto quidem! partem enim sarcinae ab utroque latere dependentes occupabant: ita non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis praeferres unicum illum equum ab ipso Catone defrictum? »

pedester ibat, ut supra vidimus cum Romam e Graecia victoriae nuntius mitteretur[1]; et si Plutarcho fides est adiungenda, equum, quo usus in Hispania fuerat, reliquit, ne rei publicae portorium imputaretur[2]. Tantas virtutes gloriosius in se laudans[3], aiebat, eos qui aliquid admisissent, se ita solitos purgare: « non eramus Catones »; et qui ipsius facta imitari aliquomodo conarentur, «sinistros Catones» appellabat. Praeterea senatum periculosissimis temporibus ad ipsum, haud aliter quam qui navigant ad gubernatorem, respexisse[4].

Qui haec atque talia improbant per iactantiam prolata, Catonem profecto excusaturos confido, si secum reputaverint severitatem, qua in semetipsum utebatur, conscientiam virtutis, corruptosque civitatis mores in dies gliscentes, ansam Catonis gloriae praebuisse, qui vitam transegit orationi admodum congruentem[5]. Dum igitur, optimus ipse rei publicae civis, in exemplum se laudando proponeret, rei quoque publicae bono egregie prospiciebat[6].

Aetate hac nostra, qua per fucatam virtutis speciem nonnulli, Catone quidem superbiores, modesti dici volunt, de se ipso praedicare deforme habetur; sed illis temporibus hoc vitium nondum civitatem invaserat, et si qua eximie fecisset quisquam, arrepta occasione, libere extollebat. Nihilo tamen secius, ut verum profitear, Cato etiam est reprehendendus quod partium studio acrius saepenumero inimicos incesserit. Sed cum ita magnam sibi nominis existimationem peperisset, fieri profecto non poterat, ut alius evaderet[7].

---

(1) Cfr. pag. 18.

(2) Plut. *op. cit.* V, 5.

(3) Liv. XXXIV, 15 « Cato ipse haud sane detrectator laudum suarum »; Plut. *op. cit.* XIV, 2 « Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε, τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγε κ. τ. λ. » XIX, 5 « Καίτοι πλεῖστα πάντων ἑαυτὸν ἐγκεκωμίακεν κτλ. ». Cfr. orationes *De sumtu suo* (Iordan *op. cit.* p. 37), *Ad litis censorias* (I. p. 51), *De moribus Claudi Neronis* (I. p. 50), *De innocentia sua* (I. p. 64), *De suis virtutibus* (I. p. 43).

(4) Plut. *op. cit.* XIX, 5.

(5) Cic. *De republ.* II. 1 ed. Mai.

(6) Cic. *ibid.*

(7) Cfr. orationem *De vestitu et vehiculis* apud Iordan *op. cit.* p. 50-51. « Nam periurium siet, cum mihi ob eos mores quos prius habui honos detur, ubi datus est, tum eos mutem atque alii modi sim ».

PARS II.

CAPVT I.

DE ORATIONIBVS

BIBLIOGRAPHIA

Ioan Hugo van Bolhuis, *Diatribe literaria in M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt scripta et fragmenta*, Traiecti ad Rhen. 1826 p. 62-175; G. Corn. Brillenburg, *Dissert. litter. de M. Porcio Catone Censorio*, Lugduni Batav. 1826 p. 69-90; Westermann, *Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom*, Leipzig 1835 vol. II. p. 37-53; Meyer-Dübner, *Oratorum romanorum fragmenta* Parisiis 1837 p. 17-21. 111-201; Henr. Iordan, *Quaestionum Catonianarum capita duo* Berolini 1856, *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant* Lipsiae 1860 *proleg.* p. LXII-XCVIII et *fragm.* p. 33-73; M. A. Berger, *Histoire de l'éloquence latine* Paris 1872 vol. II p. 24-50; F. Gnesotto, L'*Eloquenza in Atene ed in Roma*, Verona 1877 p. 370-403.

Apud Romanos eloquentia mature excoli coepta est, quippe cui admodum favebant industria huiusce populi indoles, publicae illae contentiones occasionesque apud senatum, populum, milites et aliae id genus, quibus novissimus quisque ad honores potentiamque dicendi via nitebatur[1]. Sed, ut ingenium, rudis erat tunc temporis sermo: quaeque animo sentiret, libere ac sine arte orator dicebat. Quare M. Tullius Cicero[2], si fides illi est adiungenda, nullam adfirmat lectione dignam exstare orationem Catoniamis antiquiorem, si illam excipias Appii Claudii Caeci de Pyrrho[3] et nonnullas mortuorum laudationes[4]. Missis igitur hisce eloquentiae praeludiis, ad M. Porcium Catonem devenio.

Inter criticos ambigitur quonam potissimum tempore orationes habere aut scribere occoeperit Cato; cum praesertim iuratissimi scriptores in diversas sententias abierint. Cornelius Nepos[5] rem ita narrat: « (Cato) hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna censorius narrare solitus est, Romam demigravit, in foroque esse coepit » et infra[6]: « ab adulescentia confecit orationes ». In eandem fere sententiam haec habet Plutarchus[7]: « (Οὐαλέριος Φλάκκος) προετρέψατο (Κάτωνα)

(1) Cic. *De off.* II, 19, 66. *Brut.* 49, 182; Liv. XXXIX, 40; Tacit. *Dial. de orat.* 37 ed. Andr.

(2) *Brut.* 16, 61. — Inde patet de orationibus scriptis me dumtaxat hic loqui, ac vetustiores illos oratores praetermittere qui diserti perhibentur. Cfr. Cic. *Brut.* 14; Berger *op. cit.* I p. 257-274.

(3) Cfr. Cic. *De senect.* VI; Liv. X, 19; Plut. Πύρρου βίος IX; Appian. *De rebus Samnit.* III, 10, 2; Saal, *De Appio Claudio Caeco*, p. 22.

(4) Cfr. Corssen, *Orig. poes. rom.* pag. 122 sq.; Berger *op. cit.* vol. I p. 101-114; Peter *op. cit.* p. XXVIII-XXXII.

(5) XXIV, 1, 1.

(6) XXIV, 3, 3.

(7) Κάτωνος βίος III, 2. Nec dubitandum existimo Plutarchum Cornelium exscribere, ut G. Vollertsen (*op. cit.* p. 16) docuit loculentissime.

καὶ συνέπεισε ἅψασθαι τῆς ἐν Ῥώμῃ πολιτείας. Κατελθὼν οὖν εὐθὺς τοὺς μὲν αὐτὸς ἐκτᾶτο θαυμαστὰς καὶ φίλους διὰ τῶν συνηγοριῶν κ. τ. λ. ». Tullius[1] autem Catonem ita de se loquentem inducit: « Causarum illustrium quascunque defendi nunc cum maxime conficio orationes. » Quibus testimoniis, aliter ac sentit Henr. Iordan[2], qui in ceteris Cornelio suffragatus, eius auctoritatem, nescio qua de causa, hic respuit, evinci potest Catonem per omnem vitae cursum orationes habuisse et scripsisse; sed iam senem, quas habuisset memoria dignas scripsisse, et scriptas tum maxime perpolisse.

Amplius centum quinquaginta Ciceronis temporibus[3] exstabant Catonis orationes: quarum ferme octoginta ex Henrici Iordan sententia[4], reliquiae supersunt. Attamen cum de orationibus ab eo habitis priusquam cum L. Valerio consulatum arriperet[5], nihil memoriae proditum sit, primam orationem, quam certo constat Catonem dixisse « Pro lege Oppia, » perpendam. Hanc legem, quam tulerat C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio Ti. Sempronio coss. in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plus semunciam auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu iuncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur, M. Fundanius et L. Valerius tr. pl. abrogandam censebant, M. vero et P. Iuniis Brutis tr. pl. et M. Porcio Catone consule adversantibus. Sed licet res parva admodum esset, partium tamen studiis in magnum certamen excessit. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant; Capitolium turba hominum complebatur; matronae nulla nec auctoritate, nec verecundia imperio virorum contineri limine poterant; vias aditusque in forum obsidebant pristinum ornatum postulantes. Verum Cato, minime exorabilis exstitit, atque orationem habuit, quam Livius, more suo, retractatam pereleganter exhibuit[6].

Nunc autem subobscura hic quaestio exoritur, utrum videlicet Livius Catonianam orationem legerit necne. Frid. Lachmann[7] haec habet: « An Catonis pro lege Oppia orationem legerit Livius incertum est. Non in omnium manibus erant Catonis orationes. Ciceronem

(1) *De senect.* XI, 38.
(2) *Quaest. Catonianar.* p. 7-9; *M. Catonis quae extant, proleg.* LXII.
(3) *Brut.* 17, 65.
(4) *M. Catonis quae extant, proleg.* LXIII.
(5) Cfr. p. 12.
(6) Liv. XXXIV, 1-4.
(7) *De fontibus historiarum T. Livii, commentatio altera,* Gottingae 1828 p. 18.

scimus quasdam data opera invenire non potuisse. Illa Catonis pro lege Oppia oratio quae libro 34, 2 et sq. legitur, Livii debetur ingenio, apte ut Fabricius dicit, ad rem et Catonis personam expressa, et in aliis locis Livius, ubi orationes a magnis viris habitas superesse sciret, alias ipse suo ingenio proferre noluit. Cfr. 45, 25 ubi dicit: non inseram simulacrum viri copiosi quae dixerit referendo. Ipsius oratio extat Originum quinto libro inclusa. Idem facit 39, 42, 43 ubi nonnulla commemoratur e Catonis in Flamininum oratione desumpta, etiam 38, 54 ubi extare dicit orationem de pecunia regis Antiochi, et 43, 2, de qua re Catonis extabat oratio in P. Furium (non Lucium, ut in fragm. coll. legitur), pro Lusitanis dicta s. Lusitanis Hispanis, ut Charis. p. 198 dicit, qui locus ad hanc orationem referendus est. Et hi sunt loci, in quibus Catonis orationibus usus est Livius e. q. s. » Quae quidem verba huc demum recidunt: cum Livius, quotiescunque Catonis orationes legit, eas in historiam non retulerit, hanc, pro lege Oppia, ignorasse videtur. Sed perperam; namque ex locis a Lachmann allatis, lex erui nulla post, cum praesertim Livius, et veteres in universum historici, poetica quadam libertate facta narrarent[1].

Henr. Iordan[2], qui praeter librum de re rustica, Catoniana fragmenta diligentissime recensuit, haec dicit: « Praeclara extat oratio a Livio, XXXIV, 2 composita. quo auctore quod ne titulum quidem orationis agmen reliquiarum ducere passus sum, scio fore qui reprehendant. verum cum Livius, ubicunque Catonis orationum meminit, ibi fere, quoniam etiam tum extarent, "simulacrum viri copiosi", ut ait XLV, 25, annalibus inserere quasi religiosum habeat, Oppiae legis suasionem, quam uberrime exposuit, a Catone scriptam ignorasse videtur. » Quibus verbis quando Lachmannianae argumentationi manifesto suffragatur Iordan, ad Hermannum Peter[3] venio, qui fragmentis Catonianae orationis « Dierum dictarum de consulatu suo » cum Livio XXXIV. 8-21 comparatis, haec addit: « Vix enim mihi persuadere possum, Livium, cum omnes res a Catone gestas conlectas et dispositas in Originibus videret, ipsum quae opus erant, ex orationibus laboriose conquirere

(1) Cfr. Quintil. X, 1, 31-33 « Historia .... est enim proxima poetis et quodammodo carmen solutum, et scribitur ad narrandum non ad probandum; .... neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis sed fidem quaerit ».

(2) *Op. cit.* p. LXIV.

(3) *Historicor. romanor. relliquiae,* Lipsiae 1870 vol. I, p. CLIV-CLVI.

maluisse, praesertim cum perpaucos libros, qui non essent annales in scribendo ante oculos habuisse videatur, origines autem noverit atque ita eorum mentionem fecerit, ut magnum eius auctoritatem habitam cognoscamus. accedit quod consensus fragmentorum Catonis et Livii non est talis, ut quin Livium ipsis orationibus usum esse statuere cogamur. res concinunt non verba. atqui Catonem consulatum suum in originibus silentio non praeteriisse eademque narrasse quae in illis orationibus apertum est: quidni igitur hanc rerum expositionem Livium secutum arbitremur? » Verum si *perpaucos* libros, praeter annales Livius adivit, ab iis, mea quidem sententia, seiungi non possunt orationes, quarum nonnullae cum Originibus artissime coniunguntur. Huc etium accedit quod aliquot orationes, ut propediem videbimus, Cato Originibus inseruerit, quibus profecto adnumeranda illa est de lege Oppia quae ad eius pertinet consulatum.

Nec satis erunt hactenus in medium prolata; nam aliis quoque argumentis, Catonianam orationem prae manibus habuisse Livium evincimus. Hic ita orationem supra memoratam orditur: « Si in sua quisque nostrum matre familiae, Quirites, ius et maiestatem viri retinere instituissent, minus cum universis feminis negotii haberemus; nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur et calcatur, et quia singulas non domuimus, universas horremus .... » et infra[1]: « Recensete animo muliebria iura, quibus licentiam alligaverint maiores vestri, per quae eas subiecerint viris; quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. Quid? si carpere singula et extorquere et aequari ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? Extemplo, simul pares esse coeperint, superiores erunt, » Cui sententiae, ni fallor, respondet illud a Plutarcho relatum[2] « Περὶ δὲ τῆς γυναικοκρατίας διαλεγόμενος, πάντες, εἶπεν, ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες. »

Praeterea in oratione a Livio relata haec etiam occurrunt a Catone fortasse mutuata: « Saepe me querentem de feminarum, saepe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratuum sumptibus audistis, *diversisque duobus vitiis, avaritia et luxuria* civitatem laborare, quae pestes omnia magna imperia everterunt .... »[3], quae Sallustius eius orationis sectator diligentissimus,

(1) 3, 1-3.
(2) *Op. cit.* VIII, 2.
(3) 4.

ita expressit: « Incitabant (Catilinam) praeterea conrupti civitatis mores, quos pessuma ac *divorsa inter se vitia luxuria atque avaritia* vexabant » [1]. Accedunt locutiones « maiores nostri » [2] « maiores vestri » [3] « maioribus nostris » [4] « patrum nostrorum memoria » [5] quae acerrimum exacti temporis laudatorem produnt. Postremo ipsa orationis clausula « Vos quod faxitis, deos fortunare velim » Catonianum dicendi genus imitatur, haud aliter ac dictio « auro et purpura » [6] « aurum et purpuram » [7], quae in Catonianis etiam fragmentis usurpantur: « auro purpuraque » [8] « in auro atque in purpura » [9]. Quae cum ita sint, orationem de lege Oppia legisse Livius videtur.

Illius orationis fragmentum, ni fallor, servavit Zonaras [10] « Κοσμείϑωσαν οὖν αἱ γυναῖκες, μήτε χρυσῷ, μήτε λίϑοις, ἤ τισιν ὠϑηροῖς καὶ ἀμφιγίνοις ἐσϑήμασιν, ἀλλὰ σωφροσύνῃ, φιλανδρίᾳ, φιλοτεκνίᾳ, πειϑοῖ, μετριότητι, τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις, τοῖς ὅπλοις τοῖς ἡμετέροις, τοῖς νίκαις, τοῖς τροπαίοις ».

Postquam ex Hispania consul rediit, aliquot pro se habuit orationes, quae, satis probabili coniectura [11], sua quaeque inscriptione distinctae, sub communi titulo « Dierum dictarum de consulatu suo [libri] » [12] comprehensae dicuntur. His adnumerandae sunt orationes: « Dierum dictarum de consulatu suo », « De sumtu suo », « Cum in Hispaniam proficisceretur » [13], De triumpho ad populum » necnon « Numantiae apud equites », quae ad res in consulatu gestas manifesto pertinent [14].

---

(1) *Catil.* V, ed. Dietsch.
(2) 2, 11.
(3) 3, 1.
(4) 4, 7.
(5) 4, 6.
(6) 3, 8. 4, 14.
(7) 4, 10.
(8) Apud Iordan *op. cit.* p. 28, 13.
(9) *Ibid.* p, 69, 2.
(10) IX, 17. Cfr. Bolhuis *op. cit.* p. 156.
(11) Cfr. Meyer-Dübner *op. cit.* p. 184; Iordan, *M. Catonis quae extant, proleg.* p. LXIV-LXV. *Quaestion. catonianar. cap. duo* p. 20-22.
(12) Sic etiam Cicero *libros* appellavit orationes suas in Verrem; et Tacit. (*Dial.* 21) Calvi oratiunculas nominat *librorum* titulo donatas.
(13) An sincerus hic fuerit orationis titulus, vehementer dubito. Cfr. Appul. *de magia* 17 « M. autem Cato ..... in oratione sua scriptum reliquit, cum in Hispaniam consul proficisceretur, tres servos solos ex urbe duxisse e. q. s. »
(14) Cfr. Iordan, *M. Catonis quae extant, proleg.* LXIV-LXIX. fragm. p. 33-39.

Sequitur oratio « De feneratione » [1] qua Noster legem fenerariam a P. Iunio latam dissuasit an. 562-192, quo, ut Livius ait, in feneratores severe est animadversum [2]. Huius orationis duo fragmenta supersunt,

Tribunus militum (an. 560-194) sub M.' Acilio Glabrione, « Apud Athenienses » de Antiocho verba fecit, qui post infames nuptias, Chalcide laetos dies agitans, omnia per epistulas negotia procurabat [3].

Q. Minucius Thermus proconsul an. 564-190 Romam ex Liguribus rediit, triumphum petiturus [4]. Sed frustra; nam Cato duabus orationibus vehementer obstitit. Quarum altera, « De decem hominibus » inscripta, Termum incessebat, quod decem homines liberos immani crudelitate necasset. In hac oratione laudat Gellius [5] lumina quaedam sublustria tunc primum exorientis Latinae eloquentiae. Altera autem « De falsis pugnis », ex qua idem Gellius [6] evincit, Catonem « contentum eloquentia aetatis non fuisse et id iam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit », Thermus accusabatur, ut verisimile est, ob falsas pugnas ad petendum triumphum iactatas [7]. Sunt qui orationes supra memoratas non duas sed unam fuisse perperam contendant; adeo enim aperte grammatici earum titulos referunt, ut nullus dubitationi locus relinquatur [8].

---

(1) Iordan (*op. cit.* p. 39) una cum Meyer, ex Festo (p. 234 M.): *De feneratione legisIuniae* et Nonio (p. 64 M.): *In dissuasione De feneratione* hunc orationi titulum affinxit *De feneratione. Legis Iuniae dissuasio.*

(2) XXXV, 7. 41.

(3) Cfr. quae dixi p. 16. 26 n. 5 et apud Iordan *op. cit.* p. 39: « Antiochus epistolis bellum gerit, calamo et atramento militat ».

(4) Liv. XXXVII, 46, 1-3. Huiusce viri Livius pluries mentionem iniecit; cfr. XXXII, 27. 29. XXXIII, 24. 26. XXXIV, 45. 54. XXXVII, 55. XXXVIII, 41.

(5) XIII, 25, 12.

(6) X, 3, 16.

(7) Cfr. Valer. Max. II, 8: « Ob levia proelia quidam imperatores triumphos sibi decerni desiderabant. quibus ut occurreretur, lege cautum est ne quis triumpharet, nisi qui quinque milia hostium una acie cecidisset: non enim numero sed gloria triumphorum excelsius urbis nostrae futurum decus maiores existimabant. ceterum ne tam praeclara lex cupiditate laureae oblitteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam P. Marcius et M. Cato tribuni plebei tulerunt. poenam enim imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in proelio aut amissorum civium falsum numerum litteris senatui ausi essent referre, iubetque eos cum primum urbem intrassent, apud quaestores urbanos iurare de utroque numero vere ab iis senatui esse scriptum ».

(8) Cfr. Gell. XIII, 25, 12: « .... in illa quae inscripta est *de decem hominibus* .... » et X, 3, 17: « .... in eo namque libro qui *de falsis pugnis* inscriptus est .... »; aliique-

Harum fragmentis, sex dumtaxat restantibus, duo incertae sedis accedunt [1].

Contra alium Thermum, nam Quintus obierat an. 566-188, Cato post censuram « De virtutibus suis » [2] orationem habuit. Cuius reliquiae adiciendam illam existimo, quae « De innocentia sua » inscribitur. Quis fuerit iste Thermus ignoratur. Iordan [3] eundem esse adfirmat, qui a Catone an. 600-154 lacessitus oratione est, cui titulus « De Ptolomaeo contra Thermum » [4]. Cum Ptolomaeus Romam venisset auxilium imploraturus, senatus in Aegyptum legatos ad rem cognoscendam misit, inter quos Lucius Thermus fuit [5]. Sed hic tam inique se gessit erga regem « optimum atque beneficissimum » [6] ut ob « scelera nefaria pecuniae causa » [7] a Catone sit accusatus. Restant insuper tria incertae sedis fragmenta in Thermum, ex quibus nihil certi exsculpi potest [8].

In M.' Acilium Glabrionem an. 565-189 quattuor orationes videtur dixisse; quia si fidem adiungimus Festo [9], fragmentum superstes ad quartam in illum orationem pertinet. Cur autem M.' Acilium Glabrionem petierit Noster, quando satis in vita [10] dixi, hic plura non attinet adtexere.

An. 567-187 cum Aetoli de M. Fulvii Nobilioris saevitia quererentur, referente M. Aemilio consule senatus consultum factum est, ut Ambraciensibus suae res omnes redderentur; in libertate essent ac legibus suis uterentur; portoria quae vellent terra marique

---

Ex altero Gellii loco mihi videor colligere orationes in Q. Minucium Thermum, ut de illis iam dixi ad consulatum pertinentibus, in libros fuisse digestas communi titulo inscriptas: *In Q. M. Thermum libri.*

(1) Apud Iordan *op. cit.* p. 42.

(2) Iordan *op. cit. proleg.* LXXV, duas existimat esse orationes cum hisce indicibus: *De suis virtutibus contra* [*L.*] *Thermum* et *In* [*L.*] *Thermum post censuram.* Cfr. frag. p. 43-44.

(3) *Op. cit. proleg.* p. LXXIV-LXXV.

(4) Iordan *op. cit. proleg.* p. LXXIV ex Priscian. (III p. 88 H.) orationis titulum esse putat *De Ptolomaeo minore contra* [*L.*] *Thermum. Sive de Thermi quaestione.* Gellius autem inscriptionem a me supra relatam tuetur.

(5) Polyb. XXXIII, 5; Liv. *Epit.* XLVII. LII.

(6) Fragm. 4 apud Iordan *op. cit.* p. 43.

(7) Frag. 1 *op. cit.* p. 42.

(8) *Op. cit.* p. 45.

(9) Pag. 237 M. Iordan *ibid.* sic orationem inscribit: [*Orationes in M.' Acilium Glabrionem.*] *In M.' Acilium* [*oratio*] *quarta.*

(10) Pag. 18-19.

caperent, dum eorum immunes Romani ac socii nominis Latini essent. Ligna aliaque ornamenta quae ex sacris aedibus sublata dicerent, de iis placere ad collegium pontificum referri, et quod ii censuissent fieri. Neque his contentus consul fuit, sed postea per infrequentiam adiecit senatus consultum, Ambraciam non videri vi captam esse [1]. Quae quidem Cato exprobrans Fulvio dixit: « Iam principio quis vidit corona donari quemquam, cum oppidum captum non esset, aut castra hostium non incensa essent? » [2]; multos enim, priusquam in urbem triumphans inveheretur, Fulvius in circo Flaminio tribunos, praefectos, equites, centuriones Romanos sociosque donis militaribus donaverat [3]. Praeterea Noster ut probrum obiecit Fulvio quod in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium [4]. Iordan [5] existimat Nostrum in Fulvium ira exarsisse ob initam cum Ennio amicitiam, qui Catonis et Fulvii res gestas insigni pariter laude celebraverat. Accedit quod Ennius Graecorum metrorum elegantiam Saturnio numero praevertisset; et Archistrati Hedyphageticis latine redditis, luxuriae appetentem se prodidisset. Mea autem sententia, Fulvio suscensuit Cato, non quod Ennium, sed poetas, ut ait Cicero [6], in provinciam duxisset; nam istis oblectamentis militarem disciplinam emolliri quodammodo arbitrabatur [7]. Duobus fragmentis huius orationis addendum illud existimo per παρανομασίαν dictum « Nobiliorem mobiliorem » [8] a multis inter dicta memorabilia relatum.

Aliquot etiam post annis (575-179) cum M. Aemilius Lepidus pontifex maximus et M. Fulvius Nobilior, censores creati, ex pecunia, quam in promiscuo habuerant, aquam abducendam fornicesque faciendos locavissent [9], Cato de ea re videtur egisse, ut ait Festus [10], cum edissertavit M. Fulvii Nobilioris censuram. Meyer [11],

---

(1) Liv. XXXVIII, 44.
(2) Apud Iordan *op. cit.* p. 46.
(3) Liv. XXXIX, 5, 17.
(4) Cic. *Tuscul.* I, 2.
(5) *Quaestion Caton.* p. 39-40.
(6) l. c.
(7) Cfr. Bolhuis *op. cit.* p. 126; Vahlen *Ennianae poesis reliquiae* p. LXXIV : « ... Fulvius ingeniosi poetae consortio ne inter bellicas quidem occupationes carere voluit ».
(8) Cic. *De orat.* II, 63, 256.
(9) Liv. XL, 51, 7.
(10) Pag. 282 M.
(11) *Op. cit.* p. 148.

satis probabili coniectura ex Catoniana oratione petitum opinatur, quod affert Priscianus[1]: « Speca proposita, quo aqua de via abiret ».

« De pecunia regis Antiochi » dixit an. 567-187, rogationem suasurus, quam Petillii, mortuo P. Scipione Africano, promulgaverant. Fuit autem rogatio talis : « Velitis iubeatis, Quirites, quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, quique sub imperio eius fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quaerere de iis, qui praetores nunc sunt »[2]. L. Scipio dissuasor processit. Is post mortem P. Africani fratris, viri omnium fortissimi clarissimique, eam exortam rogationem est conquestus: parum enim fuisse non laudari pro rostris P. Africanum post mortem, nisi etiam accusaretur. Carthaginienses exsilio Hannibalis contentos esse, populum contra Romanum ne morte quidem Scipionis exsatiari nisi et ipsius fama sepulti laceretur et frater insuper, accessione invidiae, mactetur. Catonianam orationem nunc omnino deperditam, suis temporibus exstitisse Livius adfirmat[3].

Insequenti anno « De coniuratione » dixit Noster, ut Meyer[4] et Iordan[5] coniecerunt, cum Bacanaliorum furor atque libido in omnia coniuraret[6]. Maians[7] autem orationem habitam existimat an. 556-193, quo Carthaginiensium obsides, Setiae custoditi, coniurationem inierant[8]. Sed prior coniectura mihi potior videtur, cum praesertim fieri non posset quin Cato, prisci moris tenacissimus, acerrimo odio in Bacanalia ferretur, quae veluti pestes civitatem invadebant. Huius orationis vox « precem » dumtaxat restat.

Cum L. Valerio Flacco censor creatus, acerbas quidem in multos habuit orationes, quarum longe gravissima[9] ea est « In

---

(1) VI p. 260 H.

(2) XXXVIII, 54; Plut. *op. cit.* XV, 2.

(3) l. c.

(4) *Op. cit.* p. 129.

(5) *M. Catonis quae extant, proleg.* p. LXXVII.

(6) Cfr. Liv. XXXIX, 15. 16 ubi rem fusius narrat, Bacanalia illa (15, 2. 16, 3) coniurationem appellans.

(7) *Op. cit.* p. 42.

(8) Liv. XXXII, 26.

(9) « .... qua (oratione) si accusator ante notam, non censor post notam usus esset, retinere L. Quinctium in senatu ne frater quidem T. Quinctius, si tum censor esset, potuisset ». Liv. XXXIX, 42; cfr. Iordan *M. Catonis quae extant, proleg.* pag. LXXIX:

L. Quinctium Flaminínum » T. Quinctii Flaminini fratrem, qui Philippum debellaverat[1]. Huiusce insimulationis causam, ne actum agere videar[2], hic libens praetereo. Praeter fragmentum, in quo scortum Cato compellas « aliud est, Philippe, amor, longe aliud est cupido. accessit ilico alter, ubi alter recessit; alter bonus, alter malus »[3], Catonianum quidpiam mihi videntur redolere Liviana verba in hanc rem usurpata: « Facinus .... saevum (est) atque atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse et cruore mensam respersam! [4]». In extrema oratione condicio L. Quinctiô Flaminino fertur, ut, si id factum negaret ceteraque quae obiecisset, sponsione defenderet sese; sin fateretur ignominiane sua quemquam doliturum censeret, cum ipse vino et venere amens sanguine hominis in convivio lusisset[5]. Ex his, quae produnt exaggeratum dicendi genus Nostro perfamiliare, manifesto colligitur Catonianam orationem Livio innotuisse. Ceterum, ni fallor, id quoque Livius ipse testari videtur[6].

Quamquam non existimo omnes scriptas esse censorias orationes, verisimile tamen est ex Livii testimonio[7], multas Catonem scripsisse, quibus adnumerandae illae quidem sunt in L. Veturium, in L. Furium, et de moribus Claudii Neronis.

Cur L. Veturio, in quem « De sacrificio commisso »[8] orationem habuit Cato, equus ademptus sit, duplex mihi causa occurrit.

« quae ea est verborum Livii orationem a censore *post notam* habitam esse vis ac sententia, ut, cum L. Flamininus a censore praeteritus statim obloqueretur, negans tam nefarium a sese facinus commissum esse, censor sponsionis ei conditione lata causam notae uberiore oratione exponeret ».

(1) Cic. *De senect.* XII, 43; Liv. XXXIX, 42. 43.

(2) Cfr. pag. 20

(3) Isidorus *De different. verb.* 5.

(4) XXXIX, 43.

(5) *Ibid.*

(6) *Ibid*: « Valerius Antias, ut qui nec orationem Catonis legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum, simile tamen et libidini et crudelitati peragit ».

(7) XXXIX, 42: « Catonis et aliae quidem acerbae orationes extant in eos, quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos ademit ». In Scipionem Asiagenem, cui equus ademptus, et in Manilium, qui senatorum numero expunctus est, quod uxorem, spectante filia, osculatus esset, orationes habuisse Catonem non arbitror.

(8) Ita esse titulum puto ex Gellio VI, 22 « Cato in oratione quam *de sacrificio commisso* scripsit ». Maians (*op. cit.* p. 38) uni Festo (p. 234 M.) suffragatus, perperam *De sacrilegio* scribit, Iordan autem (*M. Catonis q. ext.* p. 47) in hunc modum

Primo quod nimis pinguis et corpulentus esset L. Veturius atque propterea, ut ait Gellius[1], minus idoneus ad faciendum equitis munus; deinde quod « sacra stata, solemnia, capite sancta deseruisset »[2]. Undecim fragmenta supersunt.

Sequitur oratio « In L. Furium de aqua »[3]. Hic fuit L. Furius Purpurio, patricio genere natus, quocum Noster an. 570-184 censuram petierat[4]. Aqua igitur publica, quam in rem suam derivaverat[5], adempta ei est, ac multa insuper irrogata. Fragmenta extant septem.

Hoc ferme tempore orationem habuit « De moribus Claudi Neronis ». Qui autem is fuerit iter criticos ambigitur[6]. Ego fortasse hic agi crediderim de C. Claudio Nerone qui bello Punico secundo Hasdrubalem devicit[7] ac postea censuram arripuit[8]; nam ex altero fragmento « Pecunia mea rei publicae profui quam isti modi uti tu es » mihi videor colligere Catonem, censurae causa, cum C. Claudio Nerone se comparasse.

Ad reprimendam luxuriam in dies gliscentem, orationem « De vestitu et vehiculis »[9] habuit in censura, quae in censibus quoque accipiendis tristis atque aspera in omnes ordines fuit. Ut igitur narrat Livius[10], ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quae pluris quam quindecim milium aeris essent, [decies pluris] in censum referre iuratores iussi.

---

ampliatam inscriptionem refert: *In L. Veterium de sacrificio commisso cum ei equum ademit* quae posteriora verba *cum ei equum ademit* addita a grammaticis arbitror, qui *hominem* a Catone petitum, ac *tempus* constituendum fortasse censuerunt.

(1) VI, 22.

(2) Fragm. apud Iordan *op. cit.* p. 48. Cfr. *proleg.* p. LXXIX-LXXX.

(3) Ex variis grammaticorum testimoniis, Iordan (*op. cit.* p. 49) hunc orationi titulum affingit: *In L. Furium de aqua sive de multa.*

(4) Liv. XXXIX, 40, 3.

(5) Ex frag. 5 (apud Iordan p. 49): « Quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium resignat » probabili coniectura eruitur Furium in salinas suas aquam publicam deduxisse.

(6) Cfr. Berger *op. cit.* vol. II p. 5-6; Vollertsen *op. cit.* p. 33 n. 6.

(7) Liv. XXVII, 50; Corn. Nep. *op. cit.* 1, 2.

(8) Liv. XXIX, 37.

(9) Iordan *op. cit.* p. 50 ex Prisciano VI p. 226. 266: *M. Cato in censura de vestitu et vehiculis* opinatus est hunc esse germanum orationis titulum; sed perperam, nam verba *in censura* haud alio valent, quam ad significandum Catonem in censura orationem habuisse. Et revera Priscianus ipse XIII p. 8 haec tantum habet: « Marcus Cato *de vestitu et vehiculis* » quoniam antea, ut dixi, orationem in censura habitam adfirmaverat. Cfr. unicum frag. pag. 34 n. 7.

(10) Liv. XXXIX, 44; Aur. Vict. LVII, 6; Plut. XVIII, 1.

Praeterea Cato in censura atria duo, Maenium et Titium in Lautumiis et quattuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi aedificavit, quae Porcia appellata est[1], ac Maenius cum domum suam propterea censori venderet, exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur; ex illo igitur columna Maenia est nuncupata[2]. Sed Cato, cum vehementer adversarentur inimici[3], orationem habuisse dicitur « Uti basilica aedificetur ». Restat fragmentum perbreve.

Accusatus ob locationes in censura factas[4], oratione se defendit, quae inscribitur « Ad litis censorias ». In priori fragmento se aiebat huc potissimum intendisse, ut, quas secundae res fovent, luxuriae atque avaritiae resisteret.

Postremo praeclara ferebatur, ut ait Eumenius[5], Catonis oratio « De lustri sui felicitate ». Iam tum enim in illa vetere re publica ad censorum laudem pertinebat, si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent.

« Ne lex Baebia derogaretur », quae alternis quaternos iubebat praetores creari[6] quaeque post multos annos neglecta iacebat, Cato orationem habuit. Non desunt tamen qui hanc cum fragmento orationis « De ambitu » coniungendam existiment, quam P. Cornelius Cethegus et M. Baebius Tamphilus consules (an. 573-181) ex auctoritate senatus ad populum tulerunt[7]. Duo restant brevissima fragmenta.

Orationis causa quam Cato habuit « Ne lex Orchia derogaretur » cautum est ut, ob nimiam in cenis luxuriam atque tot instrumenta gulae apud Romanos vel ingenio cogitata vel studio confecta, patentibus portis cenaretur. Hanc legem tulerat C. Orchius tr. pl. tertio anno quam Cato censor fuerat[8]. Praeter quinque fragmenta,

---

(1) Liv. XXXIX, 44; Aur. Vict. XLVII. Cfr. p. 21.

(2) Ascon Pedian. ad *Divin.* Cic. 50 p. 120 ed. Orelli.

(3) Plut. *op. cit.* XIX, 2.

(4) Plut. *ibid.* « Οἱ δὲ περὶ τὸν Τίτον συστάντες ἐπ' αὐτὸν ἔν τε τῇ βουλῇ τὰς γεγενημένας ἐκδόσεις καὶ μισθώσεις τῶν ἱερῶν καὶ δημοσίων ἔργων ἔλυσαν ὡς γεγενημένας ἀλυσιτελῶς, καὶ τῶν δημάρχων τοὺς θρασυτάτους παρώξυναν ἐν δήμῳ προσκαλέσασθαι τὸν Κάτωνα καὶ ζημιῶσαι δυσὶ ταλάντοις ».

(5) *Gratiar. act. Const. 13 panegyr. vet.* I p. 469 ed. Iäger.

(6) Liv. XL, 44.

(7) Liv. XL, 19; Maians *op. cit.* p. 41-42.

(8) Macrob. *Saturn.* II, 13.

ad orationem de lege Orchia videntur pertinere quae habet Servius[1]: « Ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui ». Quibus sane verbis Cato, ni fallor, maiorum parsimoniam et frugalitatem nuperae luxuriae opponendam fortasse arbitrabatur. Contra Iordan[2] inter Originum reliquias fragmentum recenset.

Anno circiter 576-178 cum punctariolis[3] in Histria bellatum esset[4], oratio habita a Catone dicitur « De re Histriae militari ».

Orationem « De rege Attalo et vectigalibus Asiae » habitam opinor post an. 582-172; namque in fragmento superstite C. Licinius praetor nominatur, qui eo anno praeturam arripuit[5]. Meyer autem[6] ad an. 605-149 orationem pertinere dicit, cum lis inter Attalum et Prusiam Bithyniae regem, Romae in senatu est coorta. Rei auctorem habet Livium[7] qui adfirmat: « Cum tres legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter aeger esset, tertius ingenio secors haberetur, dixit Cato eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere ». Quae quidem graece est etiam interpretatus Plutarchus[8]. Sed prior coniectura mihi potior videtur, cum praeter orationem in Galbam, nulla mentio apud scriptores occurrat orationis a Catone habitae an. 605-149.

In tribunis militum novatum an. 583-171 propter Macedonicum bellum, quod consules ex senatus consulto ad populum ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in iis faciendis iudicium arbitriumque esset[9]. Apparet igitur hac ferme tempestate dixisse Nostrum orationem « De tribunis militum ».

Cum utriusque Hispaniae populi de avaritia superbiaque magistratuum Romanorum quererentur, atque manifestum esset pecunias captas, L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias

---

(1) Aen. I, 726. 637.

(2) *Op. cit.* p. 29.

(3) Fest. p. 242 M.: « *Punctariolas* levis pugnas appellat Cato in ea quam dixit *de re Histriae militari* ».

(4) Liv. XL, 26. XLI, 1-11.

(5) Liv. XLII, 9,

(6) *Op. cit.* p. 160.

(7) *Epit.* L.

(8) *Op. cit.* IX, 1.

(9) Liv. XLII, 31.

peterent, quinos reciperatores ex ordine senatorio daret, patronosque quos vellent sumendi potestatem faceret. Citerioris Hispaniae populi M. Porcium Catonem et P. Cornelium Scipionem patronos sumpserunt, atque P. Furius Philus ad reciperatores adductus. Gravissimis criminibus accusatus ampliatusque, et cum dicenda de integro causa esset, excusati exsilii gratia solum vertit, Praenesteque abiit. Cato eum accusavit ob iniquam frumenti aestimationem. Quapropter in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti aestimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet, et ne praefecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur [1]. Orationem, quae uno tantum constat fragmento, inscribendam existimo « Pro Hispanis ».

Legem Voconiam, quam tulerat Q. Voconius Saxa tribunus plebis, ne quis heredem mulierem institueret [2], M. Porcius Cato, si Ciceroni adstipulamur [3], quinque et sexaginta annos natus (an. 585-169), magna voce et bonis lateribus suasit [4]. Tria restant fragmenta.

An. 586-168 Q. Aelio Paeto et M. Iunio Penno coss., cum Rhodii in Persico bello Romanis opem non tulissent, complures Romanorum, in primis M.' Iuventius Thalna, Rhodiorum opibus inhiantes, bellum indicendum censebant [5]. Infestissimi Rhodiis erant qui consules praetoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum [6]. Sed incluta oratione, quae « Pro Rhodiensibus » inscribitur, horum sententiae obstitit Cato, optimos fidissimosque socios defendens [7]. Rodiis responsum est ut nec hostes fierent nec socii permanerent [8]. Huius orationis, Originum quinto libro inclusae [9], septem fragmenta supersunt.

Eo tempore, Perseo victo, cum quo acriter Populus Romanus bellaverat, placuit patribus liberos esse Macedonas atque Illyricos,

---

(1) Liv.XL, 2. Cfr. Cic. *Divin.* 20, 66 : « M. Catonem illum sapientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias » et Ascon. Pedian. ibid. in adnot. : « Cato hic accusavit Serv. Galbam pro iisdem pro iniquissima aestimatione frumenti ».

(2) Liv. *Periocha* XLI.

(3) *De senect.* V, 14.

(4) Liv. *ibid.*: « ... suasit legem M. Cato: extat oratio eius ».

(5) Gell. VI, 6.

(6) Liv. XLV, 25, 2.

(7) Gell. *ibid.*

(8) Liv. *ibid.*

(9) Liv. *ib.*; Gell. *ib.*

ut omnibus gentibus adpareret arma Romanorum non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem adferre. In quattuor regiones describi Macedoniam, ut suum quaeque concilium haberet, decreverunt; et dimidium tributi quam quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere. Similia in Illyricum mandata [1]. Tunc orationem « De Macedonia » in senatu habuit Noster [2]; sed in praesens duo tantum fragmenta adservantur.

An. 598-156, ut Augustus Wagener [3] adfirmat, orationem in senatu dixit Cato adversus Carneadem [4]. Cui sententiae non equidem refragor, cum praesertim videam haec dici a Plutarcho [5], qui multa ex Catone in rem suam derivavit: « .... Ἐπεὶ δὲ προὔβαινεν ἡ δόξα τῶν φιλοσόφων ἐν τῇ πόλει καὶ τοὺς πρώτους λόγους αὐτῶν τρὸς τὴν σύγκλητον ἀνὴρ ἐπιφανὴς σπουδάσας αὐτὸς καὶ δεηθεὶς ἡρμήνευσε, Γάϊος Ἀκίλιος, ἔγνω μετ' εὐπρεπείας ἀποδιοπομπήσασθαι τοὺς φιλοσόφους ἅπαντας ἐκ τῆς πόλεως. Καὶ παρελθὼν εἰς τὴν σύγκλητον ἐμέμψατο τοῖς ἄρχουσιν, ὅτι πρεσβεία κάθηται πολὺν χρόνον ἄπρακτος ἀνδρῶν οἳ περὶ παντὸς οὗ βούλοιντο ῥαδίως πείθειν δύνανται · δεῖν οὖν τὴν ταχίστην γνῶναί τι καὶ ψηφίσασθαι περὶ τῆς πρεσβείας, ὅπως οὗτοι μὲν ἐπὶ τὰς σχολὰς τραπόμενοι διαλέγωνται παισὶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ Ῥωμαίων νέοι τῶν νόμων καὶ τῶν ἀρχόντων ὡς πρότερον ἀκούωσι ». Praeterea fragmentum accedit « Itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror » [6], quod ita Iordan [7] est interpretatus: « Cognobiliorem cognitionem esse puto historiae etc. quam philosophiam, quam vos, Athenienses, laudibus celebratis ». Nec seiungenda dixerim quae leguntur apud Gellium [8]: « Ego grammaticus vitae iam atque morum disciplinas quaero, vos philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortualia; glosaria namque conlegitis et lexidia, res tetras et inanes et frivolas tanquam mulierum praeficarum. Atque utinam, inquit, muti omnes essemus! minus improbitas instrumenti haberet ».

In nulla tamen oratione maiorem contentionem ostendit quam in ea senatoria quam « De bello Karthaginiensi » habuit [9] an. 600-154.

---

(1) Liv. XLV, 18.

(2) Titulum *De Macedonia liberanda*, quem complures tuentur, apud veteres nusquam occurrit.

(3) *M. Porcii Catonis Originum fragm.* Bonnae 1849, p. 65.

(4) Videsis quae dixi p. 24.

(5) *Op. cit.* XXII, 3. 4.

(6) Apud Gell. XX, 5, 13.

(7) *Quaest. Caton.* p. 60.

(8) XVIII, 7, 3.

(9) De hac re satis dixi in vita p. 22-23.

An. 601-153 orationem habuit « Pro se contra Cassium », ut ex Livio[1] erui potest: « (Cato) sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque »; nam cum ex eius sententia Cato natus sit an. 515-239, orationem manifesto dixit an. 601-153 aetatis suae sexto et octogesimo. Huc etiam accedit quod M. Valerius Messalla et C. Cassius Longinus anno superiore censores fuerint. Fragmento huius orationis a Gellio[2] servato adicienda quodammodo sunt quae habet Plutarchus[3]: « Λέγεται γὰρ ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, μίαν δὲ τὴν τελευταίαν ἔξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς· ἐν ᾗ καὶ τὸ μνημονευόμενον εἶπεν, ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι. »

Cum M. Marcellus, qui an. 588-166 consul fuerat, tertium esset renuntiatus an. 602-152, lex condita est, quae vetabat quemquam iterum consulem fieri[4]. Ea tum tempestate orationem habuit Noster quae inscribitur « Ne quis iterum consul fiat ». Ad hanc orationem cuius duo tantum fragmenta nunc restant, pertinere credideriim quae dicit Plutarchus[5]: « Τοὺς δὲ πολλάκις ἄρχειν σπουδάζοντας ἔφη καθάπερ ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν ἀεὶ μετὰ ῥαβδούχων ζητεῖν πορεύεσθαι, μὴ πλανηθῶσιν. Ἐπετίμα δὲ τοῖς πολίταις τοὺς αὐτοὺς αἱρουμένοις πολλάκις ἄρχοντας. « Δόξετε γὰρ » ἔφη « μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἄξιον ἢ μὴ πολλοὺς τοῦ ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι. » Si prius fragmentum perpendimus « Dicere possum, quibus villae atque aedes aedificatae atque expolitae maximo opere citro atque ebore atque pavimentis Poenicis sient », huc videntur referenda quae alias[6] protulimus Gellii verba ad inexcultas Catonis villas pertinentia. Etiam Plutarchus[7] adfirmavit: « Τῶν δὲ ἐπαυλίων αὐτοῦ μηδεμίαν εἶναι κεκονιαμένην. »

An. 603-151 « De Achaeis » orationem habuit in senatu, qua effecit ut exsulibus Achaeis reditus in patriam concederetur[8]. Fragmento, quod restat adicienda sunt, mea quidem sententia, quae dicuntur apud Plutarchum[9]: « Ὑπὲρ δὲ τῶν ἐξ Ἀχαΐας φυγάδων ἐντευχθεὶς διὰ Πολύβιον ὑπὸ Σκηπίωνος, ὡς πολὺς ἐν τῇ συγκλήτῳ λόγος

(1) XXXIX, 40. Ab hoc pendet etiam Plutarchus XV, 3 et. Valer. Max. VIII, 7, 1.
(2) X, 14, 3.
(3) l. c.
(4) Liv. *Epit.* LVI.
(5) *Op. cit.* VIII, 4.
(6) Cfr. pag. 29 n. 2.
(7) *Op. cit.* IV, 3.
(8) Rem fusius narrat Polyb. XXX, 10, XXXI, 8. XXXII, 7. 9. XXXIII, 1. 13.
(9) *Op. cit.* IX, 1-3.

ἐγίνετο, τῶν μὲν διδόντων καθόδου αὐτοῖς, τῶν δ' ἐνισταμένων ἀναστὰς ὁ Κάτων « Ὥσκερ οὐκ ἔχοντες » εἶπεν « ὅ τι πράττωμεν, καθήμεθα τὴν ἡμέραν ὅλην περὶ γεροντίων Γραικῶν ζητοῦντες, πότερον ὑπὸ τῶν παρ' ἡμῖν ἢ τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ νεκροφόρων ἐκκομισθῶσι ». Ψηφισθείσης δὲ τῆς καθόδου τοῖς ἀνδράσιν ἡμέρας ὀλίγας οἱ περὶ τὸν Πολύβιον διαλιπόντες αὖθις ἐπεχείρουν εἰς τὴν σύγκλητον εἰσελθεῖν, ὅπως ἃς πρότερον εἶχον ἐν Ἀχαΐᾳ τιμὰς οἱ φυγάδες ἀναλάβοιεν, καὶ τοῦ Κάτωνος ἀπεπειρῶντο τῆς γνώμης. Ὁ δὲ μειδιάσας ἔφη τὸν Πολύβιον, ὥσπερ τὸν Ὀδυσσέα, βούλεσθαι πάλιν εἰς το τοῦ Κύκλωπος σπήλαιον εἰσελθεῖν τὸ πιλίον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον ».

Sequitur (an. 605-149) quam paucis antequam mortuus est diebus an mensibus[1] habuit « Contra Serv. Galbam pro direptis Lusitanis »[2]. Q. Fulvius Nobilior, saepius a Catone in senatu lacessitus pro Galba respondit: Galba autem cum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos et filium C. Sulpicii Galli, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur[3]. Orationis, in Originibus libro septimo inclusae, quattuor nunc modo fragmenta supersunt. Cum Tullius, Quintilianus et Fronto satis aperte dicant de Galba absoluto Catonem verba fecisse, Iordan[4] adfirmat aliam orationem in Originibus expositam fuisse, quam sive habuerit, sive scripserit re peracta. Sed longe aliter ego sentio; nam probe poterat Cato orationis quoque exitum in Originibus dicere. Aliam orationem contra Galbam ad milites habuit[5], quam dubium est utrum in Origines Cato retulerit, necne. Hoc tamen constat dictam fuisse multa quidem venustate, luce atque munditia verborum.

Ceterarum, quae sequuntur, orationum cum incerta tempora sint, coniecturas dumtaxat proferimus.

Orationem « In Sercia » alii « In Sergia » alii « In Setia » inscripserunt. Iordan[6] contra, qui « In senatoria » antea legerat, postea Nonianum « In Sercia »[7] servandum exstimavit[8]. Quod ad me

---

(1) Cic. *Brut.* 20, 80. 23, 89.

(2) Sveton. in Galba III ed. « Familiam illustravit Serv. Galba consularis, et temporum suorum eloquentissimus, quem tradunt Hispaniam ex praetura obtinentem triginta Lusitanorum milibus perfidia trucidatis Viriathini belli causam extitisse ».

(3) Liv. *Epit.* XLIX; Cic. *De orat.* I, 5; Valer Max. VIII, 1, 2; Quintil. II, 15.

(4) *M. Catonis quae extant, proleg.* LVII-LVIII.

(5) Cfr. Gell. I, 23.

(6) *Quaest. Caton.* p. 62-63.

(7) Non. ad v. *collus.*

(8) *M. Catonis q. ext.* p. 71.

attinet, « In Sergia » scripserim ; nam saepius, ut constat, non *Servius* sed *Sergius* dictus est Galba. Unum restat fragmentum.

Oratio « Si se Caelius tribunus plebis appellasset » quonam tempore habita fuerit ignoratur. Teste Macrobio [1], Caelius senator fuit non ignobilis, sed si Gellio [2] et ipsius Catonis fragmentis fidem adhibemus, stultam loquacitatem appetivit quam indisertam prudentiam.

Orationem « De re Floria » cuius nunc tria fragmenta supersunt, ad ludos Florales Maians [3] opinatus est pertinere ; sed, ut animadvertit Iordan [4], « De re Florali » dici debuerat. Quam quidem sententiam alter quoque titulus « De re Floriana » confirmat. Ut enim a Florio Florianus, sic a Floria Floriana recte deducitur. De argumento nihil constat. Hoc tantum scimus, orationem apud iudices habitam fuisse, quorum indignationem vehementer excitavit [5].

De oratione « De re A. Atili » nil habeo quod addam ; nam ex inscriptione fortasse corrupta et mutilo fragmento, quid possit exculpi non invenio. Scaliger « De regis Attali vectigalibus » scribendum coniecit.

« De bonis Dulciae » dixit etiam orationem, quam Iordan [6] « De bonis Pulchrae ? » inscribit. Sed titulus iisdem semper difficultatibus laborat. Fragmenta iniuria temporis interciderunt.

Quam Iordan [7], una cum insequenti, orationem « De fundo oleario » ad causas privatas pertinere dicit, in censura habitam a Catone crediderim, ut, ni fallor, testari Gellius [8] videtur : « Si quis agrum suum passus fuerat sordescere eumque indiligenter curabat ac neque araverat neque purgaverat, sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine poena fuit, sed erat opus censorium censoresque aerarium faciebant .... Cuius rei .... auctoritates sunt et M. Cato id saepenumero attestatus est ». Fragmentum restat perbreve.

---

(1) *Saturn.* III, 14, 9.
(2) I, 15, 10.
(3) *Op. cit.* p. 43.
(4) *M. Catonis quae extant, proleg.* p. LXXXVIII-LXXXIX.
(5) Curius Fortunatian. *Rhet.* II p. 81. ed. Cap.
(6) *Op. cit., proleg.* LXXXIX.
(7) *Ibid.*
(8) IV, 12.

Eadem fere dicenda sunt de oratione « De agna musta pascenda » ut ex fragmento « Citer ager alligatus ad sacra erit » licet brevi, mihi videor colligere. Fortasse de agro sacro agebatur.

Orationem « De habitu » Iordan[1] opinatur inscriptam fuisse « De habito » Meyer[2] et Bolhuis[3] « De ambitu » legi volunt. Ego autem titulo « De habitu » intellegi existimo orationem « De vestitu et vehiculis ».

Sequuntur aliquot accusationum reliquiae: « Contra Annium » qui fortasse fuit T. Annius Luscus, triumvir coloniae deducendae Aquileiam[4]; « Contra Oppium » qui L. Oppius Salinator[5] fuisse creditur; « Adversus Lepidum » Qui fuit, ut existimant, M. Aemilius Lepidus senatus princeps ab tertiis iam censoribus lectus[6]. Quoniam, ut Fronto testatur, in hac oratione Cato ait statuas positas Ochae atque Dionysidoro effeminatis qui magiras facerent, huc referendum puto quod habet Plinius[7]: « Extant Catonis in censura vociferationes mulieribus Romanis in provinciis statuas poni ». De orationibus « In Q. Sulpicium » atque « In Pausam » nil dicere ausim. Praeterea apud populum dixit « Contra Cornelium » quem ignoramus quis fuerit. « Adversum Tib. Sempronium Longum » et « Tiberium exulem » duo tituli habendi sunt unius orationis. Hic Tiberius frustra petierat cum Catone censuram[8]. Habuit etiam orationem « Contra C. Pisonem » qui inter adversarios fortasse fuit quibuscum Cato graves, Hispanorum causa, inimicitias exercuit[9]. Apud censores dixit « In Lentulum », qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuerat[10].

Fragmentum orationis « Pro L. Caesare » et illud « Pro L. Caesetio » quae ad unam orationem pertinere dicit Iordan[11], Bolhuis[12] seiungit, qui, ad alteram quod attinet, quoniam de priore nil

(1) *Op. cit., proleg.* XCI-XCII.
(2) *Op. cit.* p. 192-193.
(3) *Op. cit.* p. 158.
(4) Liv. XLIII, 17, 1.
(5) Cfr. Iordan *op. cit., proleg.* XC.
(6) Liv. XLIII, 15.
(7) Plin. *N. H.* XXXIV, 6, 31.
(8) Liv. XXXIX, 40.
(9) Cfr. frag. apud Iordan p. 60: « Video hac tempestate concurrisse omnes adversarios »; Liv. XXXIX, 8.
(10) Liv. XXII, 49. XXIII, 27.
(11) *Op. cit., proleg.* XCI.
(12) *Op. cit.* p. 109.

constat « agere videtur » ait « de lege quadam, qua militibus, qui stipendia meruerant, quique sibi prospicere amplius haud poterant, publice victus concederetur ». Ad haec, fragmentum restat mutilum, quod « Pro L. C... » inscribitur. Accedunt orationes « Pro L. Aunio » et « Pro L. Turio contra Gn. Gellium », de quibus non pronum est quidpiam adfirmare.

Suasit praeterea in senatu [1] « Ut plura aera equestria fierent ». Quod, cum esset censorium munus, in censura dixisse Catonem existimo [2].

Sequitur oratio « Aediles plebis sacrosanctos esse », de qua sic loquitur Festus [3]: « Sacrosanctum dicitur quod iureiurando interposito institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet. Cuius generis sunt tribuni plebis aedilesque eiusdem ordinis quod affirmat M. Cato in ea quam scripsit: Aediles plebis sacrosanctos esse ».

Censoriam quoque arbitror fuisse orationem « De dote », de cuius argumento satis erit referre ipsius Catonis verba [4]: « Vir cum divortium fecit, mulieri iudex pro censore est, imperium quod videtur habet; si quid perverse taetreque factum est a muliere, multatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. .... In adulterio uxorem tuam si prehendisses, sine iudicio inpune necares. illa te, si adulterares sive adulterarere, digito non auderet contingere, neque ius est ».

In oratione quae duos titulos praefert « De praeda militibus dividenda » atque « Uti praeda in publicum referatur » vehementibus verbis de impunitate peculatus atque licentia conqueritur [5], in imperatores invehens, qui praeda ex hostibus facta domus suas per ambitionem exornarent, nec eam in publicum referrent, ut ex fragmentis colligitur. Hanc igitur orationem, quam complures in duas dividunt, censoriam fuisse arbitror. Quattuor supersunt fragmenta.

Idem fere argumentum atque in ea quam contra Thermum dixerat, tractasse videtur Cato in oratione « Ne spolia figerentur nisi de hostibus capta ». Ut illic Thermum incessebat falsas pugnas praetendentem, hic in imperatores invehitur, qui spolia de hostibus

---

(1) Priscian. VIII p. 318 H.
(2) Mommsen, *Röm. Gesch.* vol. I, p. 783-784, Berlin 1874.
(3) Ad. v.
(4) Apud Iordan p. 68.
(5) Gell. XI, 18, 18.

non capta in aedibus figerent . Iordan[1] hic agi putat de spoliis a a Fulvio Nobiliore ex Ambraciensi praeda comparatis domique suspensis. Sed ex brevi admodum fragmento nil possum eruere.

Reliquiae superstiti orationis « De auguribus » adiciendum illud existimo quod apud Ciceronem[2] occurrit: « Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, neglegentia collegii amissa plane et deserta sunt ».

De ceteris orationum fragmentis, quarum titulos plerosque incertos huc refero, nihil prorsus constat: « De aedilibus vitio creatis »; « In legem Populi (?) »; « Legis Maeviae (?) suasio »; « De indigitibus »; « De abrogandis legibus »; « Contio »; « Dissuasio legis ».

Accedunt postremo incertarum orationum reliquiae octo decemque quibus Catonianum illud adiciendum est a Plutarcho servatum[3]: « Ἐγὼ δ' οὐ μέμφομαι μὲν Κάτωνος τὸ μεγαλύνειν ἀεὶ καὶ πρῶτον ἑαυτὸν ἁπάντων τίθεσθαι · καίτοι φησὶν ἔν τινι λόγῳ τὸ ἐπαινεῖν αὐτὸν ὥσπερ τὸ λοιδορεῖν ἄτοπον εἶναι ».

Ex omnibus Catonis orationibus, Albertus Bormann[4] et Henricus Iordan[5] duas modo Originibus inclusas fuisse putant: « Pro Rhodiensibus » (lib. V) et « In Galbam pro Lusitanis » (lib. VII); nam, ut ipse Bormann adfirmat, si ceteras quoque orationes Cato in Origines suas retulisset, Romani scriptores profecto non dixissent eas tantum, quas supra memoravi, in Originibus exstare. Hisce duobus Augustus Wagener[6] tertiam addendam conicit « Adversus Carneadem » inscriptam. Qua quidem ex oratione si excerptum reputaveris fragmentum illud « Itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror »[7], quod in sexta Origine exstare dicit Gellius, illam profecto ibidem exposuisse Cato dicetur.

Verum enim vero huiusmodi sententiae, qua fit ut duae tantum tresve orationes in Origines referantur, aliquot difficultates obiciam. Et primo omnium, cum nec omnia nec tota Latinitatis monumenta

---

(1) *Op. cit., proleg.* XCV.

(2) *De Divin.* I, 15, 28. Iordan *op. cit.* p. 86 recenset hoc dictum inter incertorum librorum reliquias.

(3) Συγκρ. V, 2. Cfr. incertorum librorum reliquias apud Iordan *op. cit.* p. 93.

(4) *M. Porcii Catonis Originum libri septem* Brandenb 1858 p. 41.

(5) *Quaest. Caton.* p. 14 et *M. Catonis quae ext., proleg.* LVIII.

(6) *M. Porcii Catonis Originum fragm.* Bonnae 1849 p. 65.

(7) Cfr. p. 51.

supersint, adfirmari pro certo non potest, nullas praeter memoratas orationes Originibus inclusas fuisse. Deinde quî credendum hoc erit, Catonis orationibus exstantibus ut ea « De bello Karthaginiensi » aliisque non parvi quidem momenti [1]? Praeterea quemadmodum Tullius [2], Gellius [3] et Quintilianus [4], quod attinet ad orationem « In Galbam pro Lusitanis », quam in Originibus fuisse constat, nihil proferunt, eadem profecto neglegentia ad ceteras quoque orationes fieri poterat, illis praesertim temporibus, quibus scriptorum loci memoriter saepe citarentur. Nec aliter evenisse vel tituli ipsi orationum, varie relati, manifesto declarant. Quapropter orationes illas Originibus a Catone inclusas existimo, quae cum rebus in Originibus narratis coniungerentur, et iis lucem quodammodo admoverent. Multas harum orationum grammatici postea excerpserunt in usum lectorum scholarumque, tum ob historicam gravitatem, tum ob quasdam sententias, figuras, locutiones et alia id genus. Nihilo tamen secius, si testimoniis, quae hodie supersunt, fides dumtaxat adhibenda est, adseverabo orationem « Pro Rhodiensibus » Gellianis temporibus seorsum exstare. Unde fortasse factum est ut Origines, quibus Cicero aetate sua amatores defuisse ait [5] aliquantisper obliterarentur [6]. Ceteras orationes in senectute expolitas collegisse Cato videtur ut eloquentiae civilisque prudentiae suae documentum relinqueret [7].

Cato cum nullam esse existimaret eloquentiam, quae ne minimum quidem in se indicium masculi et incorrupti, ne dicam

(1) Hoc mihi videor colligere ex quarto orationis fragmento (apud Solin. Polyst. 27) « Urbem istam (Kartaginem), ut Cato in oratione senatoria (cfr. Plut. *op. cit.* XXII, 4: « παρελθὼν εἰς τὴν σύγκλητον ἐμέμψατο κ. τ. λ.) autumat, cum rex Iapon rerum in Libya potiretur, Elisa mulier extruxit domo Poenix et Karthadam dixit, quod Phoenicum ore exprimit civitatem novam ». Quare de origine illius urbis in Originibus videtur dixisse, addita, quam habuerat, de bello Kartaginiensi, oratione.

(2) *Brut.*, 20, 80.

(3) I, 12, 17.

(4) II, 15, 8.

(5) *Brut.*, 17, 66,

(6) Iordan, *M. Catonis quae ext., proleg.* LVIII.

(7) Cfr. Mommsen, *Röm. Gesch.* vol. I pag. 925.

gravis et sancti viri ostendat, effatum illud, omnium sermone laudatissimum protulit « Orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus »[1]. Talem, ut semper, se praestitit Numantiae. Ubi suis ad virtutem prodendam convocatis, non oratione quidem composita ac mellita utitur, patriae spem in eis sitam aut alia id genus commemorans; sed ait modo: « Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit »[2]. Haud aliter in fragmento quodam incertae orationis, hanc promsit sententiam: « Iure, lege, libertate, re publica communiter uti oportet; gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxit »[3].

Attamen non sua modo bene facta laudabat, ut, exempli gratia, elogium cuiusdam tribuni militum manifesto declarat: « Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. nam ita evenit: cum saucius multifariam ibi factus esset tamen vulnus capiti nullum evenit, eumque inter mortuos, defetigatum vulneribus, atque quod sanguen eius defluxerat, cognovere. eum sustulere, isque convaluit, saepeque post illam, operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. sed idem benefactum, quo in loco ponas, nimium interest. Leonides Laco, qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae decoravere monumentis, signis, statuis; elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere. at tribuno militum parva laus pro factis relicta,

---

(1) Apud Iordan, *M. Catonis q. ext.* p. 80. Hoc praeceptum, quod paene divinum appellatur (cfr. Iul. Vict. *Art. rhet.* p. 197 Or.) demonstrat Quintilianus in libri XII capit. I quod inscribitur « Non posse oratorem esse nisi virum bonum ».

(2) Cfr. Gell. XVI, 1, 1-4: « Adulescentuli cum etiantum in scholis essemus, ἐνθυμημάτιον hoc Graecum, quod adposui, dictum esse a Musonio philosopho audiebamus et, quoniam vere atque luculente dictum verbisque est brevibus et rutundis vinctum, perquam libenter memineramus: « Ἂν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει · ἂν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει ». Postea istam ipsam sententiam in Catonis oratione, quam dixit Numantiae apud equites, positam legimus. Quae etsi laxioribus paulo longioribusque verbis comprehensa est praequam illud Graecum, quod diximus, quoniam tamen priore tempore antiquiorque est, venerabilior videri debet e. q. s. ».

(3) Apud Iordan *op. cit.* p. 74.

qui idem fecerat atque rem servaverat ». Hanc Q. Caedicii tribuni virtutem, ut ait Gellius[1], M. Cato tali suo testimonio decoravit.

Maior tamen eloquentiae vis atque germanus ardor occurrit in accusationibus, ut patet ex oratione « De decem hominibus », cum vocibus multis atque saevis extruendo, ut ait Gellius[2], Q. Minucium Thermum acriter incessit: « Tuum nefarium facinus peiore facinore operire postulas, succidias umanas facis, tantam trucidationem facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis indicta causa, iniudicatis, incondemnatis ». In eundem Thermum tam vehementer copioseque dixit Noster « De falsis pugnis » ut idem Gellius[3] adfirmare non dubitaverit Catonem contentum eloquentia aetatis suae non fuisse et id iam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. Haec autem sunt, quae restant orationis verba: « Dixit a decem viris parum bene sibi cibaria curata esse. iussit vestimenta detrahi atque flagro caedi. decem viros Bruttiani[4] verberavere, videre multi mortales. quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? nemo hoc rex ausus est facere: eane fieri boni, bono genere gnatis, boni consulitis? ubi societas, ubi fides maiorum? insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinam per dedecus atque maximam contumeliam inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus te facere ausum esse! set quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum quantum fletum factum audivi? servi iniurias nimis aegre ferunt. quid illos bono genere natos, magna virtute praeditos, opinamini animi habuisse atque habituros, dum viverent[5] ».

Catonis et aliae quidem acerbae orationes exstabant Livianis temporibus, in eos quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos

---

(1) III, 7.

(2) XIII, 25, 12 « Hoc ornatus genus in crimine uno vocibus multis atque saevis extruendo ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit, sicuti in illa, quae inscripta est *De decem hominibus*, cum Thermum accusavit quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce verbis eandem omnibus rem significantibus usus est, quae quoniam sunt eloquentiae Latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est ea mihi ἀπομνημονεύειν e. q. s. ».

(3) X, 3, 16.

(4) De Bruttianis cfr. Gell. X, 3, 19.

(5) In MSS. atque in Hertziana editione occurrit *vivent*, Brillenburg *op. cit.* p. 89 n. coni. *viverent*, quam coniecturam recepit Iordan. *Quaest. Caton.* p. 29 et *M. Catonis q. ext.* p. 42.

ademit[1]. Quin etiam eo interdum processit, ut iudicum indignationem excitaret[2]. Huius acrimoniae documentum in oratione dedit « *in* Q. Flamininum » de qua supra dixi[3]; et in ea quae « De *praeda* militibus dividenda » inscribitur, vehementibus et illustribus verbis[4]: « Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura ».

In accusando quorundam saepe vitia graphice expressit, ut colligitur ex oratione in Caelium, hominem ventosum, sciolum et in verba proiectum: « In coloniam me hercules scribere nolim, si trium virum sim, spatiatorem atque fescenninum ... Numquam tacet quem morbus tenet loquendi, tamquam veternosum bibendi atque dormiendi. quod si non coveniatis, cum convocari iubet, ita cupidus orationis conducat qui auscultet. itaque auditis, non auscultatis, tamquam pharmacopolam. nam eius vera audiuntur, verum se nemo committit [ei], si aeger est ... Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur ... Praeterea cantat, ubi collibuit, interdum Graecos versus agit, iocos dicit, voces demutat, staticulos dat ... Quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum iri ludis pro citeria atque spectatoribus sermocinaturum ». Haec atque alia, multa cum venustate, luce atque munditia verborum, proferre consuevit Noster, ut illud de exsulibus Achaeis[5] manifesto ostendit. Nec loquendi genus salsa quadam dicacitate conditum orationes dedecebat, quae ad populum praesertim haberentur. Leves vulgi animi facile delectatione devinciuntur, atque adversarios per irrisionem saepius quam argumentis orator frangit.

Haud raro tamen eveniebat ut modum in accusationibus excedens, iniquus etiam evaderet. Talem se gessit cum P. Cornelio Scipione[6] et M.' Acilio Glabrione[7].

Atqui non homines modo incessebat Tusculanus, verum et vitia, quae veluti pestes civitatem invadebant. His adnumerabantur rerum novarum cupido, matronarum cenarumque luxuria et alia

---

(1) Cfr. pag. 16 sq.
(2) Cfr. pag. 54.
(3) Cfr. pag. 16 sq.
(4) Gell. XI, 18, 18.
(5) Cfr. pag. 52-53.
(6) Cfr. pag. 10-11.
(7) Cfr. pag. 19.

id genus, quae incredibile memoratu est quantopere ad iram Catonis faces praebuerint. Iisdem ferme viribus, quibus adversarios aut vitia petebat, veritatem atque iustitiam tuebatur acerrime. Complures idcirco, ut supra vidimus[1] defendit; quae sane orationes, si ex fragmentis, quae restant, iudicium feras, ad eloquentiam quod attinet, nullius prope momenti ducendae sunt. Ex Plinio[2] qui testatur Catonem quater et quadragies causam dixisse nec quemquam saepius postulatum ac semper absolutum, colligitur, mea quidem sententia, aut iniquas in eum insimulationes fuisse, aut modo eloquentiae vi quemque superasse, aut quod *vir bonus* ac *dicendi peritus* esset.

Praeterea cum, teste Cicerone[3], clarissimi Romani, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducerent, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani dicionemque essent, iniurias propulsare eorumque fortunas defendere, Noster cum multis graves inimicitias gessit propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias.

Sed prae ceteris elucet oratio « Pro Rhodiensibus », cuius satis ampla fragmenta servavit Gellius[4]: « Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. quod mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo advorsi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. advorsae res edomant et docent, quid opus siet facto. secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus ». Hisce praemissis ad iudicii tranquillitatem hortatur: « Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vinci. sed non Rhodienses modo id noluere sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. atque haut scio, an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa

---

(1) Cfr. pag.

(2) *N. H.* VII, 27, Huic suffragantur Aur. Vict. XLVII; Solin., I; contra Plutarchus (*op. cit.* XV, 2) πεντήκοντα φυγεῖν δίκας Catonem dicit.

(3) *Divin.* XX, 66.

(4) Cfr. Peter *op. cit.* p. 80-85. *De orationis* argumento cfr. pag. 50.

id noluerint evenire. sed enim id metuere, si nemo esset homo quem veremur, quidquid luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror. atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adiuvere. cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. nam unus quisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat: quod illi tamen perpessi ». Atque commemoratis beneficiis ob quae cum Rhodiensibus vinciebantur Romani, haec addit: « Ea nunc de repente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus?... qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit: hostes voluisse fieri. ecquis est tandem, qui vestrorum, quod ad sese adtineat, aequum censeat poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet, nolim .... quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat: si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto; si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto. atque nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est .... sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit neque fecit tamen, Rhodiensibus id oberit, quod non male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere? ». Post has argumentationes quae subsequentis rhetoricae artes iam redolent, cum hisce verbis orationem concludit: « Rhodiensis superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. sint sane superbi. quid id ad nos attinet? idne irascimini, si quis est superbior quam nos? ».

Aulus Gellius[1], qui haec fragmenta a molestis cavillationibus Tironis Tullii liberti, sarta tecta servavit, hoc de tota oratione iudicium fert: « Animadvertere est in tota ista Catonis oratione omnia disciplinarum rhetoricarum arma atque subsidia mota esse; sed non proinde ut in decursibus ludicris aut simulacris proeliorum voluptariis fieri videmus, non, inquam, distincte nimis atque comte atque modulate res acta est, sed quasi in ancipiti certamine cum sparsa acies est, multis locis Marte vario pugnatur; sic in ista tum causa Cato, cum superbia illa Rhodiensium famosissima

(1) VI, 3, 52-54.

multorum odio atque invidia flagraret, omnibus promiscue tuendi atque propugnandi modis usus est et nunc ut optime meritos commendat, nunc tamquam si innocentes purgat, ne bona divitiaeque eorum expetantur, obiurgat, nunc et quasi sit erratum deprecatur, nunc ut necessarios rei publicae ostendat, nunc clementiae, nunc mansuetudinis maiorum, nunc utilitatis publicae commonefacit. Eaque omnia distinctius numerosiusque fortassean dici potuerint, fortius atque vividius potuisse dici non videntur ».

Si virtutibus Catonianae eloquentiae hactenus perpensis, iuris peritiam [1] et quandam gravitatem addidero perpetuo tenore vitae partam [2], necnon praecepta sententiasque et brevitatem, quam, ut ait Plutarchus, admirati quoque sunt Athenienses [3], quam vere quamque commode dixerit de Catone Tullius [4] profecto patebit: « Catonis autem orationes non minus multae fere sunt, quam Attici Lysiae, cuius arbitror plurimas esse, est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus et mortuus et functus omni civium munere; quamquam Timaeus eum quasi Licinia et Mucia lege repetit Syracusas; et quodam modo est nonnulla in eis etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves; sed ille Graecus ab omni laude felicior. Habet enim certos sui studiosos qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat, quamquam in Lysia sunt saepe etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius; verum est certe genere toto strigosior, sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum, di boni! mitto civem aut senatorem aut imperatorem, oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? Refertae

---

(1) Cic. *De Orat.* I, 37, 171 · III, 33, 135; Liv. XXXIX, 40, 6; Corn. Nep. *op. cit.* 3, 1; Quint. XII, 11, 23; Valer Max. VIII, 7, 1, 10. Cfr. e. gr. fragm. *In Lentulum* (Iordan *op. cit.* p. 59), *Pro L. Turio* (Iordan p. 62; Gellio XIV, 2, 21-23) et C. Lachmann, *De lege politionis* (index lectt. in Universitate litt. Frid. Guilel.) Berolini 1846 p. 1-6.

(2) Liv. XXXVII, 57.

(3) *Op. cit.* XII, 4: « Θαυμάσαι δέ φησι (Κάτων) τοὺς Ἀθηναίους τὸ τάχος αὐτοῦ καὶ τὴν ὀξύτητα τῆς φράσεως· ἃ γὰρ αὐτὸς ἐξέφερε βραχέως τὸν ἑρμέα μακρῶς καὶ διὰ πολλῶν ἀπαγγέλλειν· τὸ δ' ὅλον οἴεσθαι τὰ ῥήματα τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἀπὸ χειλέων, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι ».

(4) *Brut.* 16-18.

sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint, omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. Iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, (quod idem Lysiae Demosthenes), sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. Sed ea in nostris inscitia est, quod hi ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. Laudo; sed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem, atque utinam imitarentur nec ossa solum, sed etiam sanguinem, gratum est tamen, quod volunt; cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba[1]; ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros et, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt, iam neminem antepones Catoni. Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα: non veri simile est quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. Nec vero ignoro nondum esse satis politum hunc oratorem et quaerendum esse aliquid perfectius; quippe cum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius ».

Ex quo sane loco colligitur, mea quidem sententia, Catonem, qui, ut ait Quintilianus[2], sicut Atticus Romanorum praedicatur, cum Lysia fuisse comparatum eo ferme consilio, ut appareret Romae etiam floruisse oratores, qui cum vel excellentissimo Atticorum in contentionem venirent. Sed compluribus non adrisit Ciceronianum iudicium, quippe quod in Catone laudando a veritate desciscceret. His adnumerandus est W. S. Teuffel[3], qui in rem

(1) *Orat.* 45, 152: « Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis ».
(2) XII, 10.
(3) *Op. cit.* p. 186-187.

haec habet: « Die Schilderungen des Cicero (bes. *Brut.* 16, 63 ff. 85, 293 f. auch *De orat.* I, 37, 171. *Orat.* 45, 152) sind theils phraseologisch verschwommen, theils getrübt durch das Bestreben den Cato als Schild und als Folie für sich selbst zu benützen ».

Quamquam de laudibus eruditissimi critici detrahendum non existimo, nemo tamen infitiabitur, subtilius ac, paene dixerim, ingeniosius Tulliana verba fuisse perpensa. Siquidem, ut ex alio etiam loco colligitur [1], pro temporibus Catonem iudicaverat Cicero : « Quid vero ille M. Cato? Nonne et eloquentia tanta fuit quantam illa tempora et illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et iuris civilis omnium peritissimus? » Ad haec Ciceronis etiam temporibus oratores provenerant, qui inflatum ac tumens dicendi genus adamarent, nec satis pressum, sed supra modum exsultans et superfluens, aut Graecos unice imitarentur, magnos quidem oratores, sed a forensi strepitu et Romanorum moribus atque institutis longe remotos. Quare M. Tullius Cicero veritus ne, cum maiorum virtute, evanesceret prisca illa dicendi gravitas et virilis eloquentia, quam in Catone mirabatur, iuvenes ad sinceros eloquentiae fontes adducendos censebat. Ceterum Tullius, qui eloquentiae peritissimus uno ore praedicatur, omnium maxime potera de Catone iudicare, cum praesertim, ut supra dixi, tunc temporis centum et quinquaginta Catonis orationes exstarent.

Nec solus Cicero, sed alii etiam magni nominis scriptores Catonem laudibus extulerunt, in quibus Livius [2] haec habet : « ... In pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum extet; vivit, immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae, et pro aliis et in alios; nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas, nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae et divitiarum .... ».

---

(1) *De orat.* I, 37, 171.
(2) XXXIX, 40, 6-11.

Istiusmodi iudiciis de Catoniana eloquentia hactenus prolatis, veluti cumulus accedet illud Plutarchi[1]: « Εὔχαρις γὰρ ἅμα καὶ δεινὸς ἦν, ἡδὺς καὶ καταπληκτικός, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρός, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός[2], ὥσπερ ὁ Πλάτων τὸν Σωκράτη φησὶν ἔξωθεν ἰδιώτην καὶ σατυρικὸν καὶ ὑβριστὴν τοῖς ἐντυγχάνουσι φαινόμενον ἔνδοθεν σπουδῆς καὶ πραγμάτων μεστὸν εἶναι δάκρυα κινούντων τοῖς ἀκροωμένοις καὶ τὴν καρδίαν στρεφόντων ».

Quibus virtutibus fiebat ut Romanus Demosthenes diceretur, hoc tantum, arbitror, quod, ut Athenis Demosthenes, inter Romanos aetatis suae oratores longe Noster praestaret[3]. Quae cum ita sint illorum refutatur sententia qui nullam adfirmant Catoni esse cum Demosthene similitudinem, atque propterea inter fabulas esse amandanda quae de Romano Demosthene perhibentur.

Huius famae causa de Romano Demosthene pervulgatae, factum quoque puto, ut Demosthenem imitatus fuisse Cato diceretur a Plutarcho[4]. Sed perperam; nam suus ubique fuit et, prisci moris tenacissimus, si qua a patriis institutis recederent, fastidiose repudiabat, atque omnia idcirco quae diceret, ex penu suo depromebat, ardenti patriae caritate commotus.

Nec Demostheni solum sed etiam Thucydidi deditum Catonem ait Plutarchus, quoniam, ut habet Peter[5], quotquot Romani rerum scriptores brevitati studebant, Thucydidis imitatores dicebantur.

Haec erant praesertim dicenda, cum Mommsen[6] aliique in primis eruditissimi, sententiam supra explosam tueantur.

Tantae existimationis argumentum quoque est, quod eum imitatus sit acerrimus elegantiae arbiter C. Crispus Sallustius[7];

---

(1) *Op. cit.* VII, 1.

(2) Cfr. Front. *epist.* I, p. 114 ed. Naber: « Contionibus autem Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose. In iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur ».

(3) Cfr. Appian. *De rebus Hispan.* XXXIX: « .... δεινότητι λόγων ἀπρεπής· ὥστε αὐτὸν ἐπὶ τοῖς λόγοις ἐκάλουν οἱ Ῥωμαῖοι Δημοσθένη, πυνθανόμενοι τὸν ἄριστον ἐν τοῖς Ἕλλησι ῥήτορα γεγενῆσθαι Δημοσθένη ».

(4) *Op. cit.* II, 3: « (Κάτωνα) βραχέα μὲν ἀπὸ Θουκυδίδου, πλείονα δ' ἀπὸ Δημοσθένους εἰς τὸ ῥητορικὸν ὠφεληθῆναι ».

(5) *Op. cit.* p. CXXXXVIII.

(6) *Op. cit.* vol. I, p. 928.

(7) Cfr. apud Quintil. VIII, 3, 29, distichum incerti auctoris:

« Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Iugurthinae conditor historiae ».

et Sueton., *Oct.* 86. *De ill. gramm.* 10. 15 ed. Roth; Front. *Epist. ad Caes.* IV, 3 ed. Naber; Gustav. Brünnert, *De Sallustio imitatore Catonis, Sisennae* ...., Ienae 1873.

qui praeter cetera a Catone in rem suam derivata[1], ad orationes quod attinet, in exordiis[2] atque sententiis quibusdam[3] Catonem expressit.

Nec solum apud veteres optimae notae scriptores, sed cum Latinae litterae ad occasum vergere visae sunt, magni habitus fuit, praesertim a Frontone atque Marco Aurelio[4]. Qui sane

---

(1) *Rationem historiae scribendae* — *Grammaticam* — *Verba* suo quaeque loco illustrabo.

(2) Exordium, ex. gr., orationis Marianae (*Iugurth.* 85): « Scio ego, Quirites, e. q. s. » illud exprimit Catonis quod legitur in orationibus: *Dierum dictarum de consulatu suo* (apud Iord. p. 33, 1); *Pro Rhodiensibus* (Iord. p. 21, 8); *Ad litis censorias* (Iord. p. 51, 4); cfr. etiam *De re militari* (Iord. p. 80).

(3) Verba Memmii (Iug. 31, 1): « Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium rei publicae superet: opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est » manifesto imitantur quae habet Cato in oratione *Pro Lusitanis* (Iord. p. 27, 1): « Multa me dehortata sunt huc prodire, anni aetas, vox, vires, senectus. verum enim vero cum tantam rem peragier arbitrarer e. q. s. ». Et infra, in eadem Memmii oratione Sallustius quae dicit: « Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? » derivata videntur ex oratione Catoniana *De falsis pugnis* (Iord. p. 41, 11): « Servi iniurias nimis aegre ferunt. quid illos bono genere natos opinamini animi habuisse atque habituros, dum viverent? ». (Ita *Iug.* 85, 3) in Marii oratione: « .... Bellum parare simul et aerario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est » effinxit Catonem dicentem in oratione *Dierum dictar. de cons. suo* (Iord. p. 33, 1): « Scio ego atque iam pridem cognovi atque intellexi atque arbitror, rem publicam curare industrie summum periculum esse ». Tum sententia « Virtus clara aeternaque habetur » (*Catil.* 1, 4) derivata. est fortasse a Catone (*De lege Orchia* apud Iord. p. 53) « .... Ut summae gloriae sint, a virtute proficiscentia ». Et quae dicuntur a Mario (*Iug.* 85, 8). « Quae ante vostra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium, Quirites ». respondent verbis Catonianis (*De vestitu et vehiculis* Iord. p. 50, 6): « Nam periurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi sim ». Dicta (*Catil.* 11, 8): « Quippe secundae res sapientium animos fatigant » et (*Iug.* p. 41, 3): « Scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere » et (*Catil.* 52, 9): « Opulentia neglegentiam tolerabat » cum Catonianis concinunt (*Pro Rhodiensibus*, Iord. p. 21, 8): « Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque ferociam augescere atque crescere » et (p. 22, 6): « Secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo » et (*Ad litis censorias* p, 51): « Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere ». Ad haec semper corrupti moris contemptus et iisdem fere verbis in utroque occurrit.

(4) *Libr.* III. *Epist.* XVI p. 54 N. « Meministi autem tu plurimas lectiones quibus usque adhuc versatus es, comoedias, Atellanas, oratores veteres, quorum aut pauci, aut praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat; omnes autem mugiunt vel

antiquitatis amor, ex eo fortasse manavit, quod illi Catonianam orationem recolendo, priscos quoque mores se revocaturos sperarent. Atque eo ventum erat ut Gracchus et Crassus et Curio, nimis culti recentesque viderentur[1] et Quintilianus[2] doceret « ne quis pueros antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit ».

Quod attinet ad Catonianae orationis compositionem *exordia* aut *invocationes* memorantur. Ex Symmachi[3] testimonio in forensibus dumtaxat orationibus invocationes, apud veteres usitatissimas[4], adhibuisse Catonem eruitur. Servius[5] autem in omnibus Nostri orationibus istas comprecationes legi ait. Prior vero sententia, quae nullo nititur argumento respuenda videtur, cum praesertim non intellegatur cur Cato in forensibus tantum orationibus invocationes adhibuerit. Sed si Servio accedimus, cur nihil ex istis Catonis invocationibus restat? Cur in oratione ex. gr. « Pro Rhodiensibus »

---

stridunt potius ». et *epist.* III *ad Anton.* p. 149 N. « At ubi Catonis et Sallustii et Tullii tuba exaudita est, trepidant et pavent, et fugam frustra meditantur ». — « Fronto quidem antiquitate potius delectatur et utitur verbis magis prisci Catonis, Plauti, Sallustii, quam eorum, qui etsi excellentes, proprius tamen sua tempora floruerunt » Ang. Mai, *M. Cornelii Frontonis opera inedita*, Mediolani 1815, pars I, p. XXXIX-XL. — Lib. II *epist. ad Front.* XIII p. 36 N.: « Ego tibi de patrono meo M. Porcio gratias ago, quod eum crebro lectitas. Tu mihi de C. Crispo timeo ut numquam gratias agere possis; nam uni M. Porcio me dedicavi atque despondi, atque delegavi. Hoc etiam ipsum *atque* unde putas? ex ipso furor (ita Mai, codex vero et Naber habent *furore*) » et IV, *epist.* III p. 62 N.

(1) Seneca *epist.* CXIV.

(2) II, 5, 21.

(3) *Epist.* III, 44: « An si nobis scribenda esset forensis oratio, Iovem Deosque ceteros Catonis lege praefabimur, ne nobis vitio detur vel neglegentia antiquitatis vel inscitia? Atqui praestat Tullium sequi; qui ignorata maioribus usurpat exordia ».

(4) Cic. *Divin.* 13, 43: « Siquid ex vetere aliqua oratione Iovem ego optimum maximum »; Valer. Max. I praef.: « Nam si prisci oratores ab Iove optimo maximo bene orsi sunt »; Gell. XIII, 23, 1 « Comprecationes deorum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum populi Romani et plerisque antiquis orationibus. In his scribtum est: Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Virites Quirini, Maiam Volcani, Heriem Iunonis, Moles Martis Nerienemque Martis ».

(5) *Aen.* VII, 259 (Di nostra incepta secundent) « secundum priscam consuetudinem locuturus de publica utilitate, id est pace et nuptiis filiae, facit ante deorum commemorationem, sicut etiam in omnibus Catonis orationibus legimus » et *Aen.* XI, 301 (Praefatus divos) « more antiquo. Nam maiores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis et Cracchi. nam generale caput legimus in omnibus ». Corssen *Orig. poes rom.* p. 122 istas invocationes dicit pertinere « ad solas laudationes funebres similesque orationes ».

aliisque, quarum exordia servata sunt, nulla invocationis mentio inicitur? Sed si reputaverimus hoc *generale caput*, ut ait Servius, in omnibus orationibus simile propemodum fuisse, rei difficultas facile evanescet. Siquidem grammatici qui Catonianae orationis fragmenta servarunt, *invocationes* neglexerunt quod nullo cum orationibus vinculo coniungerentur (1).

In Catonis orationibus assidua fuisse dicitur *partitio* (2) et *confragosa structura* (3); atque praeterea orationis formae occurrunt: παράλειψις (4), διάνοια (5), παρανομασία (6), ταπείνωσις (7) et quaedam verborum differentiae (8).

Scio fore nonnullos quibus nullius momenti ista minutula videantur a grammaticis molestius conquisita; sed profitendum quoque est, grammaticorum opera Catonis fragmenta superesse.

---

(1) Cfr. Iordan *Quaest Caton.* p. 76.

(2) *Inst. orat.* p. 266 C.

(3) Diomedes II p. 472 K. « Si paenultimus fuerit tribrachys vel pyrrhichius et paeones successerint primus et novissimus, erit antiqua structura quae dicitur confragosa; qua usus est Cato ».

(4) Fronto I *epist.* II p. 99.

(5) Iulius Rufinian. *De figuris, sententiis et elocut.* p. 33. ed. Capp.

(6) Cic. *De orat.* II, 63, 256.

(7) Quint. VIII, 3, 48.

(8) Gell. VI, 13. XVI, 14; Isid. *De different. verb.* vol. V p. 2.

CAPVT II.

DE RE RVSTICA

BIBLIOGRAPHIA

Rougier, *Histoire de l'agriculture ancienne des Romains*, Paris 1834; Wiskemann, *Die antiche Landwirthschaft*, Leipzig 1859. — I. M. Gesner, *Scriptores rei rusticae* Lipsiae 1735, praefat.; M. Saboureux de la Bonnetrie, *Traduction d'anciens ouvrages latins relatifs a l'agriculture* etc. Paris 1771, tom I, praefat. p. III-XLIV; Moritz. Ad. Rump, *Ueber die alten röm. Schriftsteller von Landwirthschaft* (westphäl. patriot. öconom. Gesellschaft.) Münster 1796 p. VIII-30; I. H. van Bolhuis, *Diatribe literaria in M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt scripta et fragmenta*, Trai. ad Rh. 1826; Io. Gtlo. Schneider, *De vita, studiis et scriptis M. Porcii Catonis*, (Scriptor. rei rusticae, Taurini 1828-30) vol. I. p. LVII-LXVIII; Reinhold Klotz, *Ueber die versprüngliche Gestalt von M. Porcius Cato's Schrift de re rustica, ein Beitrag zur lateinischen Litteraturgeschichte*, (Neue Iahrbücher für Philol. u. Paed.) 1844, Suppl. X p. 5-73; W. Nitzsch, *Ueber Cato's Buch von Landbau* (Zeitschrift. f. d. Alterthumsw.) 1845, p. 62-64; C. Lachmann, *De lege politionis*, (Index lectt. in Universitate Litter. Frid. Guilel. per semestr. aest.) Berolini, 1846, p. 1-6; Henr. Keil. *Observationes criticae in Catonis et Varronis de r. r. libros*, Halis 1849; Ludovicus Dietze, *De sermone Catoniano*, Tanglimi 1871; M. A. Berger, *Histoire de l'éloquence latine*, Paris 1872 vol. II p. 51-84.

Veterum Romanorum indoles, qui deos, patriam parentesque enixe colebant, duobus tantummodo verbis *virtute* et *pietate* exprimitur. Sed his virtutibus, Romani profecto non floruissent, nisi rusticis laboribus mature corpus animumque robarassent[1]. Propterea agri cultura magni haberi coepta, vir bonus praedicabatur qui in eam omnes curas cogitationesque conferret[2]. Et re quidem vera antiquitus exstitisse viros comperimus qui, dignitatibus ac rebus optime gestis clarissimi, rei rusticae intenderent. In quibus fuisse dicitur M.' Curius Dentatus qui ad agreste focum legatos Samnites excepit, et L. Quintius Cincinnatus, qui innixus aratro suo, senatus placita exaudivit[3] atque inde, ut ait Florus[4], in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iugum misit. Verum

(1) Cfr. Cat. *De re rustica* praef. ed. Keil 4: « At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt ». Vegetius *De re milit.* ed. Lang I, 3: « Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem, quae sub divo, et in labore nutritur: soli patiens, umbrae neglegens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est ».

(2) Cat. *De r. r.* praef. 2: « (Maiores nostri) virum bonum quom laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur » et apud Iordan (*M. Catonis quae extant*, p. 78): « Vir bonus, Marce fili, colendi peritus, cuius ferramenta splendent ».

(3) Liv. III, 26, 9; Cic. *De senect.* XVI, 55-56; Colum. I, praef. 13-15 ed. Gesner; Valer Max. IV, 3, 5; Veget. *op. cit.* I. 3; Plin. *N. H.* XVIII, 3, 19: « Quaenam ergo tantae ubertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato et triumphali aratore, sive illi eadem cura semina tractabant qua bella, eademque diligentia arva disponebant qua castra, sive honestis manibus omnia laetius proveniunt, quoniam et curiosius fiunt .... ».

(4) I, 11.

non priscis dumtaxat temporibus rure delectabantur Romani, sed serius etiam cum orbis imperium adfectarent, ruri saepe a civilibus motibus requiescebant.

Primus, qui librum conscripserit de re rustica, ex communi veterum testimonio est M. Porcius Cato [1].

Ante Catonem, ut creditur, de quibusdam rei rusticae argumentis scripsere M.' Percennius Nolanus et Q. A. M. Manlii [2] et mentio inicitur de perbrevi fragmento [3] et quibusdam carminibus, quae rusticis arcanum quidpiam videbantur redolere [4].

---

(1) Colum. *r. r.* I, 1. 12: « .... M. Catonem Censorium .... qui eam (agricolationem) latine loqui primus instituit »; Isid *Orig.* XVII, 1, 1: « Apud romanos de agricultura primus Cato instituit .... ». Klotz (*op. cit.* p. 5) id etiam vidit in Plinio (*op. cit.* XIV, 4, 44): « Catonum ille *primus* triumpho et censura super cetera insignis, magis tamen etiamnum claritate litterarum praeceptisque omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima vero agrum colendi, ille aevi confessione optimus ac sine aemulo agricola, pauca attigit vitium genera .... ». Sed Plinius vocem (*Catonum*) *primus*, ut manifesto apparet, usurpavit ad Nostrum seiungendum a ceteris Catonibus quos antiquitate praecesserat (cfr. Gell. XIII, 20; Valer. Max. III, 16). Insequentem eiusdem operis pag. praesertim debuerat consulere Klotz, ubi Plinius, quibusdam Catonianis verbis adlatis, haec addit (XIV, 4, 47): « Nec sunt vetustiora de illa re latinae linguae praecepta ». Quod attinet ad scriptores qui post Catonem de re rustica scripserunt cfr. Varr. *r. r.* I, 10. 16, 5. 17. 3. 38, 1. II, 1, 11. 27. III, 2, 13 ed. Gesner; Cic. *De orat.* I, 58, 249; Plin. *op. cit.* XVII, 11. 16. 19. 30. XVIII, 7. 33. XIX, 57. XXI, 68; Colum. *r. r.* I, 1, 6. 12-14; Isid. *Orig.* XVII, 1, 1.

(2) Cat. *r. r.* CLI, 1: « Semen cupressi quo modo legi seri propagarique oporteat et quo pacto cupresseta seri oporteat, Manius Percennius Nolanus ad un modum monstravit e. q. s. ». et CLII, 1: « Q. A. M. Manlii monstraverunt ». — Quamquam non refragor sententiae supra relatae, satis probabili coniectura verbum *monstrare* in eandem significationem accipi potest atque apud Horat. *A. P.* v. 73: « Res gestae Quo scribi possent numero *monstravit* Homerus »; nam fieri quidem poterat ut Cato illorum colendi rationem, licet scriptis non traditam, ex rerum consuetudine arriperet.

(3) Paulus Diac. pag. 93 ed. Müller: « Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus patrimes et matrimes, qui flamini diali ad sacrificia praeministrabat; antiqui enim ministros camillos dicebant. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis camillos appellatos, sicut habetur in antiquo carmine, quum pater filio de agricultura praeciperet: « Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes ». Serv. *Georg.* I, 101: « Et est carmen rusticorum antiquum: « Hiberno e. q. s. ». Macr. *Saturn.* V, 20, 17: « ... In libro enim vetustissimorum carminum, qui ante omnia quae a Latinis scripta sunt, compositus ferebatur, invenitur hoc rusticorum vetus canticum: « Hiberno e. q. s. » — Corssen (*Orig. poesis rom.* Berolini 1846 p. 160) hoc esse poema existimat simile Hesiodaeo: Ἔργα καὶ ἡμέραι. Ad metrum quod attinet cfr. L. Havet, *De saturnio latinor. versu* (Bibliotéque de l'école des hautes études, Paris 1880 fasc. 43) vol. II p. 294-95.

(4) Cfr. Cat. *r. r.* CLX; Varr. *r. r.* I. 2; Plin. *op. cit.* XXVIII, 2; Corssen *op. cit.* p. 161.

Nihilominus magni momenti reputandum est opus Catonianum quod rusticam eius peritiam[1], stilum atque mores aperte declarat.

Multi, praesertim Io. Matth. Gesner[2], librum de re rustica retractatum ac paene refectum dixerunt; et W. Drumann[3], ultra provectus, Catonis ingenio opus abiudicandum existimavit.

Ego igitur his omnibus quae ab adversariis obiciuntur, quoad eius fieri poterit, perpensis, conclusionem in medium proferam quae ex rebus ipsis sua sponte fluat.

Ut ab operis ordiar inscriptione, haec abeo veterum testimonia:

Varro[4] ait: « An non in magni illius Catonis libro, qui *de agricultura* est editus, scripta sunt permulta similia? » et Gellius[5]: « M. Cato in libro quem *de agricultura* conscripsit »[6].

Attamen ipse Gellius[7] haec habet: « Cato in libro *de re rustica* » et Cato apud Ciceronem[8]: « Quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro quem *de rebus rusticis* scripsi ».

Ex quibus testimoniis, quamquam prima fronte germanus operis titulus exculpi non potest, *de re rustica* inscriptum fuisse Catonis librum opinor, ut etiam ex adlatis Tullii verbis mihi videor colligere; nam Cicero, Catonianorum scriptorum peritissimus, non

---

(1) Cfr. frag. apud Iordan *M. Catonis quae extant* p. 43: « Ego iam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam abstinui, agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis »; Quintil. XXII, 11, 23: « (Cato) rerum rusticarum peritissimus »; Liv. XXXIX, 40: « Urbanas rusticasque res pariter callebat »; Cornel. Nep. *op. cit.* 3: « Agricola solers »; Plin. *op. cit.* XIV, 4, 44: « Optimus ac sine aemulo agricola ».

(2) *Scriptores rei rusticae* Lipsiae 1735 praef.

(3) *Geschichte Roms* Königsb 1841 vol. V. p. 142 n.: « Das Werk *de re rustica*, welches wir unter seinem Namen besitzen ist wenigstens in der ietzigen Gestalt nicht von ihn verfasst ».

(4) *r. r.* I, 2, 28.

(5) III, 14, 17.

(6) Locus Plinii (*op. cit.* XIV, 4, 44): « Catonum ille primus triumpho et censura super cetera insignis, magis tamen etiamnum claritate litterarum praeceptisque omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima vero agrum colendi, ille aevi confessione optimus ac sine aemulo agricola ... » atque hic Columellae (*r. r.* I, 1): « ... M. Catonem Censorium illum memoremus qui eam (agricolationem) latine loqui primus instituit » perperam a quibusdam citati sunt ad titulum *De agricultura* tuendum.

(7) X, 26, 8.

(8) *De senect.* XV, 54.

ausus esset, mea quidem sententia, falsam illius operi inscriptionem affingere. Nec valet contra quod numerum multitudinis usurpet Cicero, cui adridebant istiusmodi pluralia, ut ipse testatur[1] inscriptioni « De officio » praevertens « De officiis » quae est « inscriptio plenior ».

Codicum numero non innitar, licet XIII « De re rustica » et VI[2] tantum inscriptionem « De agricultura » tueantur; sed notasse sufficiet codicem Marcianum, ut erui potest ex Petri Victorii[3] verbis, titulum « De re rustica » perhibere: « Vetustissimum volumen est in divi Marci Bibliotheca, in quo M. Catonis unus liber est, quem *de re rustica* scripsit: ac tres M. Terentii Varronis *rerum* item *rusticarum*. Is unus liber, ut verum fatear, et ut veris laudibus ornem, maiores mihi utilitates praebuit, quam universi alii: superat enim reliquos, quos habui, longo intervallo, et vetustate et fidelitate ».

Quae cum ita sint, si a me quisquam petet, unde titulus « De agricultura » manaverit, adfirmare non dubitabo veteres scriptores ad argumentum potius quam ad germanum titulum saepenumero respexisse. Ita etiam factum est ut eius Origines Annales[4] interdum dicerentur et Historiae[5]; et liber de re militari, de disciplina militari[6].

Nunc venio ad alia multo graviora. Ex Servio[7]: « Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura » quidam sibi visi sunt colligere aliquot deesse verba quibus Cato librum de re rustica filio suo inscripserat. Verum cum in Catonis libro nihil usquam de filio occurrat, aliud opus a Servio intellegi puto, quo orbem multifariae[8]

---

(1) *Ad Att.* XVI *epist.* XI.

(2) Praeter ea quae Keil (*op. cit.* p. 5-12) de Catonianis codicibus dicit, notabo Riccardian. cart. n. XXVII nunc 153, quem Keil non vidisse ait (*op. cit.* p. 12) αὐτόγραφον esse Bartholomaei Fonzii (26 sept. 1476). Continentur hoc codice Catonis, Varronis aliorumque scriptorum excerpta.

(3) *Explicatio suarum in Catonem, Varronem, Columellam castigationum,* Lugduni 1542 praef.

(4) Serv. *Aen.* VI, 842.

(5) Plin. *op. cit.* VIII, 5, 11.

(6) Veget. *op. cit.* I, 15.

(7) *Georg.* II, 412.

(8) Plin. (*op. cit.* XXV, 2): (Cato) omnium bonarum artium magister » et (XIV, 4) « Insignis claritate litterarum, praeceptisque omnium rerum expetendarum »; Cic. (*De or.* III, 33, 135): « Nihil temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit » nam ait Livius (XXXIX, 40): » Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres quodcunque ageret ».

doctrinae suae Cato comprehenderat[1]. Praeterea Plutarchus[2] qui, quod attinet ad Origines ait: « Καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοι τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι », de libro de re rustica haec tantum habet[3]: « Συντέτακταί γε βιβλίον γεωργικόν κ. τ. λ. » quin de eius filio mentionem iniciat.

M. Ad. Rump[4] aliter ac Pontedera, Popma, Schneider aliiqui, qui Catonis filio librum de re rustica ex Servio nuncupatum crediderunt, filio scriptum, non inscriptum, adfirmat. Sed eius sententiae refragantur ipsa Catonis verba[5]: « Fundum urbanum, et qui eum fundum solum habebit, ita paret itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat » et alia id genus quae passim in libro de re rustica occurrunt.

Cum Plinius[6] testetur, in novissima libri parte Catonem de asparagis pertractare, et isti « De asparagis » cap. illud subsequatur de « Salsura pernarum et ofellae puteolanae », ordinem, quo dispositus a Catone fuerat liber de re rustica, quidam perturbatum esse dixerunt. Sed Plinianum illud *novissimum libri* pro *sub finem* non immerito interpretor[7], numero capitum posthabito. Sed alios etiam locos proferunt adversarii ut cap. LXXXIII: « Votum pro bubus, uti valeant, sic facito », quod interponitur cap. LXXXII et LXXXIV in quibus agitur de spaerita et savillo; et CXXIV: « Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores et vigilantiores sint » cum vini praeceptis permixtum. Sed huiusce rei causa satis manifesto apparebit, si reputaveris Catonem non librum quidem conscripsisse numeris omnibus absolutum. Si quid inter rustica opera memoria dignum observaret, notabat diligenter, ordinis ceteroquin securus quo res essent digerendae. Contra Keil[8] haec habet: « Longe a vero aberrare iudico eos qui haec nullo ordine, sed ita ut singula singulis diebus usu doctus forte notasset, composita esse putant. Quod quum ineptissime fieri appareat, tum vel hoc perturbatissimo libri ordine redarguitur »; sed perperam, nam ex

(1) Cfr. cap. IV.
(2) *Op. cit.* XX, 4.
(3) *Ibid.* XXV, 1.
(4) *Op. cit.* p. 9.
(5) *r. r.* VIII, 2.
(6) *Op. cit.* XIX, 8, 147.
(7) Cfr. Klotz *op. cit.* p. 24-25.
(8) *Op. cit.* p. 69 et 76.

hoc praesertim *perturbatissimo ordine* praeceptisque nulla prorsus cognatione devinctis colligitur, ni fallor, non retractatum quidem opus esse, sed cotidianis adnotatiunculis praepostere consarcinatis constare.

Ad haec etiam repetitiones occurrunt:

(*a*) In cap. XLVIII et CLI de ratione serendi cupressum [2] et in cap. L et CXXXI de variis locis subigendis pertractat Noster. De propagatione pomorum ceterarumque arborum agitur in cap. CXXXIII, LI et LII. In cap. XCI et CXXIX eadem praecepta de area facienda perhibentur.

(*b*) Cap. CXIV de vino concinnando ut alveum moveat apprime refert CXV. In CLVI et CLVII eadem iisdem fere verbis de brassica dicuntur.

Hasce omnes repetitiones in duas partes dividendas existimavi, priores enim, quippe quae longius inter se distant, magni quidem momenti non sunt: ceteras autem ab ipso Catone profluxisse dixerim cui potiora aliquot praecepta saepius inculcanda videbantur.

Quod attinet ad interpolationes hic adfertur Plinii [3] locus: « Ex iis quae (Cato) commentatus est, facile apparet illa aetate inter lignum et corticem, nec alio modo inserere solitas », dum Cato [4] tres inserendi vitem rationes ostendit: « Vitem sic inserito: praecidito quam inseres, eam mediam diffindito per medullam: eo surculos praeacutos artito: quos inseres, medullam cum medulla componito: altera insitio est: si vitis vitem continget, utriusque vitem teneram praeacuito, obliquo inter sese medullam cum medulla libro conligato. tertia insitio est: terebra vitem quam inseres pertundito, eo duos surculos vitigineos, quod genus esse voles, insectos obliquos artito ad medullam: facito iis medullam cum medulla coniungas artitoque ea qua terebraveris alterum ex altera parte. eos surculos facito sint longi pedes binos, eos in terram demittito replicatoque ad vitis caput, medias vitis vinclis in terram defigito terraque operito. haec omnia luto depsto oblinito, alligato integitoque ad eundem modum, tanquam oleas ».

---

(2) Non est alienum huc etiam referre quae dicit Plinius *op. cit.* XVI, 33, 139: « Cupressus advena et difficillime nascentium fuit ut de qua verbosius saepiusque quam de omnibus aliis prodiderit Cato ».

(3) *Op. cit.* XVII, 14, 111.

(4) XLI.

Sed Plinius[1] ipse, praeter adversariorum opinionem, Catonianae rationi suffragatur: « Cato vitem tribus modis inserit: praesectam findi iubet per medullam, in eam surculos exacutos, ut dictum est, addi, medullas iungi. Altero, si inter se vites contingat, utriusque in obliquum latere contrario adraso iunctis medullis colligari. Tertium genus est terebrare vitem in obliquum ad medullam calamosque addere longos pedes binos atque ita ligatum insitum intritaque inlitum operire terra calamis subrectis ». Ceterum eundem Gesner, qui primus omnium difficultatem obiecerat, non fugit a Plinio[2] dici: « Sed *pruna silvestria* ubique nasci certum est, quo magis miror huius pomi mentionem a Catone non habitam, praesertim cum condenda demonstraret quaedam et silvestria » dum alibi[3], de agri bonitate locuturus, « Catonis maxime verbis » citat prunum silvestrem. Klotz[4] animadvertit *prunum silvestrem* non a Catone sed a Columella[5] vel a Cornelio Celso eius magistro, Plinium derivasse; et in Plinianis codicibus fuisse quondam coniecit: *Colum.* vel *Co. Celsi.* Contra ego, quando istam coniecturam nulla codicum auctoritate roboratur, memoriter citasse Plinium existimo.

Aliud evagati animi in ipso Plinio[6] argumentum occurrit: « Alica res romana est, et non pridem excogitata .... nondum arbitror Pompei Magni aetate in usu fuisse » dum Cato eam citat ad faciendam placentam[7], globulos[8], et pultem punicam[9]. Huc etiam accedit quod vox *alicarius* apud Lucilium[10] et Plautum[11] occurrat.

Cum insuper Plinius[12] dicat: « Duo eius (lauri) genera tradidit Cato, Delphicam et Cypriam » et Cato[13]: « Laurum Delphicam et Cypriam et silvaticam », non defuerunt qui *silvaticam*

---

(1) *Op. cit.* XVII, 4, 115.
(2) *Op. cit.* XV, 13, 44.
(3) *Op. cit.* XVIII, 6, 34.
(4) *Op. cit.* p. 59-60.
(5) II, 2, 20.
(6) *Op. cit.* XXII, 4, 115.
(7) LXXVI, 1.
(8) LXXIX, 1.
(9) LXXXV.
(10) *Satur. reliq.* p. 69 ed. Müller.
(11) *Poen.* I, 2, 54 ed. Ussing.
(12) *Op. cit.* XV, 30, 127.
(13) VIII, 2.

interpolatam crederent. Sed Plinius alium ob oculos profecto habuit Catonis locum [1] in quo exstat: Laurum Cypriam, Delphicam ». Quin animadvertendum est in priore Catonis loco apud potiores codices atque editionem quam Henricus Keil nuperrime adornavit, pro *laurum*, *loream* occurrere.

De lacunarum prima, quae in praefatione libri de re rustica notatur, quando non habeo quod addam, disputationem a me olim [2] initam huc referendam existimo:

Nell' edizione dei *Rustici latini volgarizzati* [3], si legge la seguente obbiezione, ch'io credo gravissima, alla quale i critici non hanno per anco tentato di dare una risposta: « ..... Catone comincia così il suo libro: " Est interdum praestare (*populo* aggiunge un cod. della libreria di S. Marco) mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet etc. ". Per me un tale modo di cominciare un'opera non va a garbo. Infatti veggo che i commentatori si sbracciano a trovarvi il senso vero. Ma checchè sia della giustezza di questo modo di cominciamento, le ultime linee del Proemio sembrano sciogliere, a mio favore, la questione. Catone termina così: " Nunc, ut ad rem redeam, quod promisi institutum principium hoc erit ". Che è quanto dire: Ora, ritornando al proposito, ecco come do principio a quanto promisi. Se noi non vogliamo riguardare Catone come un babbuino smemorato, che crede d'aver detto ciò, che non ha detto per nissun conto, siccome apertamente consta, che in tutto il proemio suo nè ha specificato di voler trattare dell'agricoltura, nè lo ha promesso, forza è concludere che realmente manca buona parte del proemio scritto da Catone, e che questo che ora ci rimane, è mutilato..... ».

Sorvolando alle parole « est interdum praestare mercaturis rem quaerere e. q. s. » chè non è il caso di giustificare, con moltissime altre, dalle accuse di commentatori, i quali per colpa tutta loro non intendono Catone, vengo a proporre una variante nella chiusa del proemio: « Nunc, ut ad rem redeam, quod promisi institutum principium hoc erit »: dove invece di *promisi* leggerei *promsi*, modificando il senso nel modo seguente: « Questo che [finora] ho detto sarà (opp.: valga per) l'introduzione ch'io aveva divisato [di premettere all'opera mia] ».

---

(1) CXXXIII, 2.

(2) Cfr. *Rivista di Filologia classica* an. X fasc. 8-9, Torino 1882 p. 443-45.

(3) Venezia, stamperia Palese, 1792-94, vol. I, p. 148, n. 4.

Per tal guisa sarebbe tolto il sospetto di una lacuna, la quale del resto non si saprebbe dove ammettere: non in principio del proemio, perchè esso è troppo solenne, se posso dirlo, per doversi considerare mutilato: non in mezzo, perchè la successione logica delle idee non è affatto interrotta.

Per altro contro questa congettura sorge una difficoltà. Nel periodo Catoniano precitato, si legge il verbo *redeam*, che naturalmente parrebbe implicare l'idea di ritorno ad una cosa alla quale l'autore sia di già venuto; ma di ciò si può dare spiegazione.

Catone, l'uomo pratico per eccellenza, che va sempre diritto, senza ambagi, al suo scopo, tanto nella vita come nelle opere sue e segnatamente nel libro *De re rustica*, dove precetti sono aggiunti a precetti, spesso perfino senza legame, dopo aver premesso una prefazione alquanto larga e generica, accennando ai pericoli del commercio, alla disonestà dell'usura, all'eccellenza dell'agricoltura, che fa gli uomini forti ed onesti e i soldati valorosi, ed alla ingenua semplicità de' costumi presso i maggiori, i quali per lodare un uomo dabbene lo chiamavano « bonum agricolam bonumque colonum », s'accorge di aver fatto una digressione che lo ha allontanato dal dare principio all'argomento tutto pratico ch'egli si era proposto di svolgere nel *De re rustica*, e quindi, come pentito, *ritorna* ad esso « nunc, ut ad rem redeam, quod *promsi* institutum principium hoc erit ».

Questo va detto qualora s'intenda il verbo *redire* nella significazione primitiva di *ritornare*. Se poi piacesse invece considerarlo come usato semplicemente nel senso di *venire, venire realmente*, ecc., giusta parecchi esempi classici, la difficoltà sarebbe anche minore.

Aiunt praeterea adversarii locos Plinii XIV, 20, 129. XVIII 6, 34. 44 et Columellae I, 2, 2. II, 17, 2. III, 2, 31 in libro *De re rustica* non reperiri. Verum, si Plinianum XIV, 20, 129 excipias, qui passim in Catonis cap. XXII, 2. XXII, 2. XXXIX legitur, non magni quidem ponderis sunt ceteri, cum praesertim quae fando acceperant, Catonis dicta sententiasque, veteres saepenumero proferrent. Cuius rei argumentum in promptu est: Cato[1] ait: « Praedium quod primum siet, si me rogabis, sic dicam: de

(1) I, 7.

omnibus agris optimoque loco iugera agri centum: vinea est prima, si vino bono vel si vino multo est, secundo loco hortus inriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum, sexto campus frumentarius, septimo silva caedua, octavo arbustum, nono glandaria silva ».

Adversus hanc Catonis partitionem, ex qua conficitur pratum quinto loco poni, Plinius[1] narrat: Cato interrogatus quis esset certissimus quaestus respondit « si bene pascas » quis proximus? « si mediocriter pascas »; et Columella[2]: « M. Cato ... consulenti, quam partem rei rusticae exercendo alacriter locupletari posset, respondit « si bene pasceret »: rursusque interroganti, quid deinde faciendo satis uberes fructus percepturus esset, affirmavit « si mediocriter pasceret ». Caeterum de tam sapiente viro piget dicere, quod eum quidam auctores memorant, eidem quaerenti, quodnam tertium in agricolatione quaestuosum esset, asseverasse « si quis vel male pasceret »: cum praesertim maius dispendium sequatur inertem et inscium pastorem, quam prudentem diligentemque compendium ». Hisce responsis quartum addit Cicero[3]: « A quo (Catone) cum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit « bene pascere ». Quid secundum? « satis bene pascere », quid tertium? « male pascere », quid quartum? « arare. Quae cum ita sint, haec Catonis praecepta memoriter tradita adfirmaverim, cum praesertim Columella, haec, ut supra vidimus, habeat: « Quidam auctores memorant » et alibi[4]: « Praeceptum quo fertur usus Cato ».

Ceterum Cato potuit in senectute aliam omnino sententiam proferre cum eum constet « Κτᾶσθαι δὲ τὰ σπειρόμενα καὶ νεμόμενα μᾶλλον ἢ τὰ ῥαινόμενα καὶ σαιρόμενα »[5] quippe quorum fructus minimo impendio essent constaturi, et imminutioni non obnoxii:

---

(1) *Op. cit.* XVIII, 5, 21-31.

(2) VI praef. 4-6. Idem Colum. II, 2, 6: « Tertia est ratio loci irrigui, quia sine impensa fructum reddere potest. Hanc primam Cato esse dicebat, qui maxime reditum pratorum caeteris anteponebat » et II, 17, 1-2: « Et ideo necessarius ei cultus est etiam prati, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt. Nomen quoque indiderunt ab eo, quod protinus esset, nec magnum laborem desideraret. M. quidem Porcius et illa commemoravit, quod nec tempestatibus affligeretur, ut aliae partes ruris, minimeque sumtus egens, per omnes annos praeberet reditum e. q. s. »,

(3) *De offic.* II, 25, 89.

(4) I, 4.

(5) Plut. *op. cit.* IV, 3; Colum. II, 2, 6. 16, 2; Serv. *Aen.* VII, 539.

« Ἁπτόμενος δὲ συντονώτερον πορισμοῦ τὴν μὲν γεωργίαν μᾶλλον, ἡγεῖτο διαγωγὴν ἢ πρόσοδον, εἰς δ' ἀσφαλῆ πράγματα καὶ βέβαια κατατιθέμενος τὰς ἀφορμὰς ἐκτᾶτο λίμνας, ὕδατα θερμά, τόπους κναφεῦσιν ἀνειμένους, ἐργαστήρια, χώραν ἔχουσαν αὐτοφυεῖς νομὰς καὶ ὕλας, ἀφ' ὧν αὐτῷ χρήματα προσήει πολλὰ μηδ' ὑπὸ τοῦ Διός, ὥς φησιν αὐτός, βλαβῆναι δυναμένων » [1] Utcunque haec sint, hoc praeceptum iam in libro *De re rustica* [2] videtur occurrere: « Prata inrigiva, si aquam habebis, id potissimum facito: si aquam non habebis, sicca quam plurima facito. hoc est praedium quod ubi vis expedit facere ».

Postremo Catonianam partitionem ita Varro [3] confirmat, ut nullus dubitationi locus relinquatur: « Stolo, Cato quidem, inquit, gradatim praeponens, alium alio agrum meliorem dicit esse in novem discriminibus, quod sit primus, ubi vineae possint esse bono vino et multo; secundus, ubi hortus irriguus; tertius, ubi salicta; quartus, ubi oliveta; quintus, ubi pratum; sextus, ubi campus frumentarius; septimus, ubi caedua silva; octavus, ubi arbustum; nonus, ubi glandaria silva ».

Sed alii insuper loci enumerantur quos in libro *De re rustica* non reperias. Sic Paulus Diaconus [4] ait: « Culigna vas potorium. Cato: culignam inquit, in foeno graeco ponito, ut bene oleat » et alibi [5]: « Pilates genus lapidis. Cato: lapis candidior quam pilates ». Horum prior, licet vox *culigna* bis in cap. CXXXII usurpetur, aliunde manare potuit, quam ex *De re rustica*; quod autem pertinet ad alterum sufficiet huc Festi [6] testimonium referre: « Pilates lapidis genus cuius [meminit] M. Cato Originum L. V.: lapis candidior quam pelastes ».

Insequentem pariter Plinii [7] locum: « Idem Cato denos culleos redire ex iugeribus scripsit » frustra quaereres in Catonis libro *De re rustica*, nisi Varro [8] testaretur: « (Argos) In qua terra iugerum denos et quinos denos culleos fert vini, quot quaedam in Italia regiones? An non M. Cato scribit in libro Originum sic? Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum

(1) Plut. *op. cit.* XXI, 3-4.
(2) IX.
(3) *r. r.* I, 7, 9.
(4) pag. 151 M.
(5) pag. 236.
(6) pag. 237.
(7) *Op. cit.* XIV, 4, 52.
(8) *r. r.* I, 2, 7.

datus est ultra agrum Picentium. in eo agro aliquotfariam in singula iugera dena cullea vini fiunt ». Addendum est etiam illud Plinianum[1]: « Somnos fieri lepore sumpto in cibis Cato arbitrabatur » quod Diomedes[2] ait legi in Catonis libro ad filium vel de Oratore[3].

Plinius[4] cum ageret de brassica scripsit: « Graecorum quoque opiniones iam et Catonis causa poni convenit, in his dumtaxat quae ille praetermiserit », et hanc Catonis praetermissionem recenset: « (Brassica) antecedente in cibis caveri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti ». Sed toto caelo erraret qui crederet eiusmodi sententiam in libro *De re rustica* deesse; nam in cap. CLVI, 1 dicitur: « Brassica est quae omnibus holeribus antistat si voles in convivio multum bibere cenareque libenter, ante cenam esto crudam quantum voles ex aceto, et item, ubi cenaveris, comesto aliqua V folia: reddet te quasi nihil ederis, bibesque quantum voles ». Qui locus a Varrone[5] etiam confirmatur dicente: « (Cato) scribit: si velis in convivio multum bibere coenareque libenter, ante esse oportet brassicam crudam ex aceto, et postea aliqua folia V ».

Ad haec Columella[6] ait: « Eleganter igitur aedificet agricola: nec sit tamen aedificator, atque areae idem tantum complectatur, quod ait Cato, quantum ne villa fundum quaerat, neve fundus villam » dum Cato[7] habet: « Ubi aetas accessit ad annos XXXVI, tum aedificare oportet, si agrum consitum habeas ita aedifices, ne villa fundum quaerat » sine « neve fundus villam », quae verba addita a grammaticis fuerunt Columellam et Plinium secutis[8]. Sed, ut alias iam animadvertimus, Columella et Plinius, Catonis sententias aut memoriter adferunt, aut quibusdam augent additamentis. Immo, quod pertinet ad locum supra relatum, Plinius[9] ipse ait:

---

(1) *Op. cit.* XXVIII, 19, 260.

(2) I, p. 362 K.

(3) Iordan recenset fragmentum in libro *De medicina*. Cfr. *M. Catonis quae extant*, pag. 78, 3.

(4) *Op. cit.* XX, 9, 84.

(5) *r. r.* I, 2, 28.

(6) I, 4, 8 et Plin. *op. cit.* XVIII, 6, 32.

(7) III, 1.

(8) Keil in editione sua, quae Lipsiae nuperrime prodiit, illud *neve fundus villam* inclinatis litteris scriptum recepit.

(9) l. c.

« Modus hic *probatur* ut neque fundus villam quaerat, neve villa fundum ». Ex quibus verbis efficitur, ni fallor, dictum illud in communi rerum consuetudinem usurpari.

Eadem dicenda sunt de cap. XLIII, 1 ubi post « Si pertica non erit sarmentis colligatis », Keil [1] deesse putat « Ita ut in altitudinem semipedem detrahatur » [2] quae addit Plinius [3], necnon de praeceptis Catonianis cap. III et IV quibus Keil [4] addendum ait quod habet Plinius [5]: « Optimumque, ut vulgo dixere, aliena insania frui, sed ita ut villarum tutela non sit oneri ». Quaeque dicit Columella [6]: « Nam illud vetus, est, et Catonis, agrum pessime multari, cuius dominus quid in eo faciendum sit, non docet, sed audit villicum », aliter atque existimat Keil [7], Catonianae sententiae παράφρασις habenda sunt.

Locus Columellae [8]: « Quod et Celsus ait, et ante eum M. Cato, nullum genus vitium conserendum esse nisi fama, nullum diutius conservandum nisi experimento probatum », manifesto ostendit Catonianum praeceptum aut aliunde petitum fuisse, aut memoriter traditum.

Elegantia praeterea et amoeniores illae descriptiones ab adversariis desiderantur, quibus Cato apud Ciceronem elucet [9]. Sed hoc ex fine manavit, quem sibi Noster in opere conscribendo proposuerat. Etenim non hic historica eruditione Romanam antiquitatem exquisivit (Origines), nec amici clientesve defendendi, aut acriori et mascula eloquentia vitia civium et luxuria incessenda erant (Orationes); verum quae ex rerum consuetudine potissima cognoverat, in usum agricolarum praecepta collegit [10].

Ad haec praeterquamquod Cicero [11] testatur se Catonem eruditius disputantem induxissse quam consueverat ipse in libris

---

(1) *Op. cit.* p. 75.

(2) Detlefsen in editione sua legit *semipes*.

(3) *Op. cit.* XVII, 16, 81.

(4) *Op. cit.* pag. 75.

(5) *Op. cit.* XVIII, 6, 31.

(6) I, 2, 2. Cfr. XI, 1, 4: « Cum etiam de patrefamilias prisci moris exemplum Cato dixerit, male agitur cum domino, quem villicus docet ».

(7) *Op. cit* pag. 75.

(8) III, 2, 31.

(9) Rump *op. cit.* p. 20 ex eo profluere id putat quod filio suo librum conscripserit Cato.

(10) Cfr. Bolhuis *op. cit.* p. 182.

(11) *De senect.* I, 3.

suis, luminibus illis, ut ita dicam, non poterat oratio eius efflorescere, ut exempli gratia in Varrone, Plinio et Columella, qui temporibus de re rustica scripserunt maiore quidem humanitate expolitis.

Postremo W. Nitzsch[1] et W. S. Teuffel[2] pro L. Manlio librum conscriptum existimant, quod de vitibus Casini et oleis Venafri praesertim tractet Noster, et ob funem torculum L. Tunnium Casini et C. Mennium L. F. Venafri habitantem prae ceteris nominet.

Adversus hanc sententiam alienum non erit animadvertere Catoniana praecepta tam late patere[3], ut eam nequaquam possis accipere, nisi illis accesseris qui retractatum Catonis librum existimant. Quod attinet ad L. Tunnium et C. Mennium nihil absoni fecisse Cato videtur, cum praesertim in eodem capite tunicas ceterasque res ubi emas ostendat.

Nec boni, ut arbitror, illorum sententia est facienda qui librum *De re rustica* hoc etiam retractatum adfirmant, quod eius lingua priscam antiquitatem non redoleat. In his Keil[4] inquit: « De dicendi autem genere ut hoc quidem vix quemquam repetiturum esse credo, tenuem hanc et ieiunam orationem talis scriptoris ingenio indignam esse, ita de antiqua Catonis elocutione multum periisse persuasum habeo. Quanquam enim complura in hoc genere rectius e codicibus constitui possunt, id quod vereor ne incommodo accidat ei qui nihil omnino quod dici a Catone non potuerit hunc librum qualis nunc est habere asseveravit, tamen multum abest, ut in eam formam oratio restituatur, quae aut universae aetatis indoli aut Catonis rationi, quam Originum fragmenta grammaticorum commentariis servata nobis praebent, aliquo modo conveniat. Quo de loco si uberius esponere mihi propositum esset, fieri potuisse confido, ut aliquantum ab hac parte hunc librum a reliquis Catonis libris discrepare demonstrarem. Nunc hoc unum quod omnium maxime apertum est moneo, prisca verba et priscas verborum formas in iis quae a grammaticis servata sunt, etiamsi

(1) *Op. cit.* p. 62-64.

(2) *Op. cit.* p. 187.

(3) Cfr. ex. gr. VIII, 2: « Fundum urbanum et qui eum fundum solum habebit, ita paret, itaque conserat, ut quam sollertissimum habeat ». I, 7: « De omnibus agris, optimoque loco, si emeris iugera centum, vinea est prima .... » et loci alii complures.

(4) *Op. cit.* p. 67.

ab iis quae hoc ipso consilio, ut antiquioris aevi consuetudo notaretur, ascripserunt discedimus, multo frequentius deprehendi, quam in hoc libro. Quae res nescio quomodo acciderit, nisi magnam mutationem, qua priscae linguae color detraheretur, liber expertus esset ».

Bernhardy [1] autem: « Die latinität klingt trotz aller Archaismen nicht alterthumlich genug.... »; et Teuffel [2]: « Die Sprache hat nicht viel Alterthumliches » et alii.

Multa vero arcaica occurrunt in libro de re rustica, quae priscam luculenter antiquitatem effingunt, cum praesertim preces [3] et masculam illam brevitatem spectes, quae Catoni perfamiliaris fuisse traditur [4]. Quae autem recentiorem aetatem redolent, cum saepius in fragmentis Originum, Orationum aliorumque librorum inveniantur, colligendum profecto est aut omnia Catonis opera novam, paene dixerim, formam retractata induisse, aut librum de quo agitur Catonianam scribendi rationem arguere [5].

Quamquam liber *De re rustica* aliter atque Οἰκονομικός Xenophonteus, ieiuna oratione et praeceptis constat nulla saepe cognatione devinctis, animadversionibus tamen et morato quodam ac simplici dicendi genere interdum commendatur. Istiusmodi hic praesertim locus adfertur [6]: « Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet, et item fenerari, si tam honestum siet. maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. quanto peiorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare. et virum bonum quom laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. amplissime laudari existimabatur qui

---

(1) *Op. cit.* p. 914.

(2) *Op. cit.* p. 188.

(3) Cfr. ex. gr. cap. CXXXIX. CXL. CXLI. Dietze *op. cit.*

(4) Plin. *op. cit.* XVII, 5, 34: « Cato breviter .... plus dixit una significatione quam possit ulla copia sermonis enarrari ». Cfr. Dietze *op. cit.* p. 33-35.

(5) Cfr. Dietze *op. cit.* p. 3.

(6) *Praef.*

ita laudabatur. mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum. at ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt ». Huc etiam accedit[1]: « Vilicae quae sunt officia, curato faciat. si eam tibi dederit dominus uxorem, ea esto contentus. ea te metuat facito. ne minimum luxuriosa siet. vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur neve domum neve ad sese recipiat. ad cenam ne quo eat neve ambulatrix siet. rem divinam ne faciat neve mandet, qui pro ea faciat, iniussu domini aut dominae. scito dominum pro tota familia rem divinam facere. munda siet: villam conversam mundeque habeat: focum purum circumversum cotidie, priusquam cubitum eat, habeat. kalendis, idibus, nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat, per eosdemque dies lari familiari pro copia supplicet ».

Ceterum vero laudandus hic liber est ob historicam gravitatem. Siquidem de Marte quaedam non contemnenda dicuntur[2]: « Agrum lustrare sic oportet. impera suovitaurilia circumagi, " cum divis volentibus quodque bene eveniat, mando tibi, Mani, uti illace suovitaurilia fundum agrum terramque meam, quota ex parte sive circumagi sive circumferenda censeas, uti cures lustrare. " Ianum Iovemque vino praefamino, sic dicito " Mars pater, te precor quaesoque uti sies volens propitius mihi domo familiaeque nostrae, quoius rei ergo agrum terram fundumque meum suovitaurilia circumagi iussi, uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis defendas averruncesque; utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire beneque evenire siris, pastores pecuaque salva servassis duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiaeque nostrae: harumce rerum ergo, fundi terrae agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovitaurilibus lactentibus inmolandis esto: Mars pater, eiusdem rei ergo macte hisce suovitaurilibus lactentibus esto. " item [esto item] cultro facito: struem et fertum uti adsiet, inde obmoveto. ubi porcum inmolabis, agnum vitulumque, sic oportet, " eiusque rei ergo macte suovitaurilibus inmolandis esto." † nominare vetat Martem neque agnum vitulumque.

(1) CXLIII, 1-3.
(2) CXLI.

si minus in omnis litabit, sic verba concipito, " Mars pater, quidis tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus neque satisfactum est, te hisce suovitaurilibus piaculo." si uno duobusve dubitavit, sic verba concipito, " Mars pater, quod tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo " ». Adde « votum pro bubus [1] »: « Marti Silvano in silva interdius in capita singula boum votum facito. farris L. III et lardi P. IIII S et pulpae P. IIII S, vini S. III, id in unum vas licito coicere, et vinum ite[illegible]in unum vas liceto coicere. eam rem divinam vel servus vel liber licebit faciat. ubi res divina facta erit, statim ibidem consumito. mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat quomodo fiat. hoc votum in annos singulos, si voles, licebit vovere ». Qua quidem de re, potiusquam parabilem eruditionem, hic iuvat Gaietani Trezza [2] sententiam adferre qui, veluti in tabella, recentiorum studia de Marte breviter et egregie absolvit: « Nella leggenda di Mars l'elemento eroico e battagliero v'è relegato di fuor dal centro, predominandovi l'elemento campestre e liturgico; la leggenda non si sviluppa in un organismo poetico ma si cristallizza in litanie rusticane ed in ceremonie ieratiche. Le sue origini solari trapelano sempre, più o meno, dai riti stessi; Mars è sempre il cielo od il sole ch'esce raggiante dalla morta atmosfera del verno, illumina co' suoi raggi la stagione vergine, fecondando le semenze dei campi che si risolvono dalle pruine, propaga la vita ubertosa nelle biade e ne allontana ogni contagio di pesti, ma non ha l'individualità piena ed estetica d'Apollo; le sue leggende rimangono trasparenti nè si convertono in una storia d'avventure divine, l'idealità poetica v'è strozzata dalla legalità farisaica. Ci trovi la reminiscenza di tradizioni antiche ricevute come un'eredità, direi quasi, inconscia dalle tribù del Lazio, ma è reminiscenza sterile di parti inorganiche sovrapposte insieme senza fondersi tra di loro in un contenuto nuovo. Tu hai qui tutti, o quasi tutti, i frammenti superstiti del passato indo-europeo, a cui manca la virtù creatrice che gli infuturi in una forma poetica, come avviene dei miti greci.

I nomi italici di *Mars, Marmar, Marmor, Mamers, Mamurius,* significan tutti « lo splendente » [3]. Del pari *Leucetius*

---

(1) LXXXIII.

(2) *Nuovi studi critici*, Verona 1881, p. 87-92.

(3) W. Corssen. *Aussprache* ecc. Leipzig 1868. T. I, pag. 405 seg. Il vocabolo *Mar-ti-s* ha il suffisso *ti* come *tes-ti-s, hos-ti-s;* quindi *Mar*(t)*s*, al modo di *sacerdo*(t)s,

o *Loucetius*, che si diceva di *Iuppiter* e di *Mars*, rivelerebbero l' affinità de' due miti. Lo stesso concetto di « splendente » si trova nel *Ianus* che risale al *Dianus* o *Divanus*, come *Iana* a *Diana* o *Divana*[1], e come *Iuno* a *Iovino*, in relazione a *Iovis* o *Diovis*[2], congiungendosi al *Dyaus* vedico, al *Zeus* greco, al *Zio* germanico.

Mars si riferisce allo stesso concetto di « splendente »; nei tipi fonetici in cui s' espresse la sensazione di quel fenomeno, si discopre l' unità del contenuto. Il sole che sverna in un cielo candido di primavera si convertiva in un Mars o Marmar o Leucetius; col Marzo, cioè col mese di Mars cominciavano le Kalende del nuovo anno[3], come apparisce dal nome di *Mamurius Veturius*, recitato dai Salii[4]. Non v' hai certo la poesia delle leggende di Apollo che ci mostrano l'affinità mitologica del Dio greco col Dio italico; pur chi esamini le scarse leggende che ci restano vi troverà le memorie più antiche della schiatta aryana. Le danze e le armi percosse dei Salii che festeggiavano la nascita di Mars, i sagrifizi, le imbandigioni opime, la rozza cantilena *Mamuri Veturi* che corrisponderebbe al peana apollineo dei Cureti[5], le potenze sinistre del verno scongiurate col suon degli scudi, la cacciata di Mamurio, il mitico artefice dei simbolici ancili[6], fuori della città, flagellato agli Idi di Marzo dalle bianche verghe allungate dei Salii stessi[7], il ritorno di Mars da plaghe remote e le sue nozze

---

antiste(t)*s, come*(t)*s. Leuc-etius* o *Louc-etius* sono forme rinforzate di *Luc-etius*, attributo di Iuppiter, e corrispondono al Λύκ-ειος, Λύκ-ιος, Λύκ-αιος, Λυκ-ή-γενης attributi di di Apollo. Cfr. Curtius. *Grundzüge der Griech. Etym.*, pag. 147. L' etimologia del Grasmann, del Kuhn, di M. Meyer, di Max Müller, che farebbero di Mars l' equivalente del *Mar-ut* vedico, non s'accorda alle leggi fonetiche del latino ed al concetto primitivo del Dio.

(1) W. Corssen. *Beiträge zur Italischen Sprachkunde.* Leipzig 1876, p. 351 seg.

(2) W. Corssen. *Kritische Nachträge zur Lat. Form.* Leipzig 1866, p. 142, ci dà i temi seguenti: *Diou-na; Iou-na; Iou-n-on.*

(3) W. Roscher. *Apollo und Mars.* Leipzig 1873, pag. 25 seg.

(4) Corssen. *Aussprache* ecc. T. I, pag. 408; E. Curtius. *Grundzüge zur Griech Etym.*, pag. 188; F. Pott. *Etym. Forsch.* T. I, pag. 108. L. Preller. *Röm Myth.* pag. 317 seg. *Vet-urius* suppone un nome arcaico *vet-us* (Ebel. *Zeitsch. für vergl. Sprach.* T. II, pag. 329; Corssen. *Aussprache.* T. II, pag. 10) come *robustus, robur; venus-tus, venus;* e corrisponde al greco Fέτ-ος.

(5) W. Roscher. *Op. cit.*, pag. 46.

(6) L. Preller. *Röm. Myth.*, pag. 317; Corssen. *Aussprache.* T. I, pag. 405 seg. Cfr. Ovidio. *Fasti* (ed. Merkel.) III, v. 371 seg.

(7) W. Roscher *Op. cit.*, pag. 49.

con Neriene, ricordano le vittorie atmosferiche d'Indra, di Thor, di Apollo, d'Heracles, liberatori delle spose celesti *(devapâtni)*, dal servaggio dei demoni *(dâsapâtni)*[1]. È l'elemento epico del mito d'Indra e di Vritra scorciato in un rito liturgico.

Anche gli *Ambarvali* che si celebravano in onore di Mars, ricorderebbero le origini solari del Dio che scalda, sviluppa e matura le biade, e le custodisce da ogni contagio. Per ciò Marmar si associa nel Canto Arvale ai Lari agresti ed ai Semoni[2], deità rusticane affini a Saturno, rappresentanti le energie fecondatrici del seme affidato alla terra[3]. La litania conservataci da Catone ci rivela in Mars il Dio pretettore dei campi, il *Deus Averruncus* ed il *Silvanus*, e ci dà la chiave d'una etimologia scura e tormentata in diversi modi, del *Gradivus*, equivalente al *Grabovius* delle Tavole Eugubine, secondo l'interpretazione del Breal[4], la quale mi par giusta o almeno più scientificamente probabile delle altre, perchè meglio di tutte si concorda col carattere stesso del Dio invocato. *Gradivus* come *Grabovius*, aggettivo divenuto nome più tardi, è il Dio che sviluppa la natura maturandone l'energie, *ut fruges.... grandiri beneque evenire siris.*

Parimenti il *Ver sacrum* si riferisce alle origini solari di Mars come Dio della primavera. Che se, più tardi, Mars divenuto Dio delle Battaglie, ereditò le leggende greche dell'Ares, e gli Ambarvali si associarono al culto di Cerere e di Bacco[5], ciò si

---

(1) J. Grimm. *Deutsch. Myth.* I, 724; Mannhardt. *Germ. Myth.* I, 76: W. Schwartz. *Die Sonne Mond und Stern.*, pag. 100 seg.

(2) Th. Mommsen. *Corpus Inscriptionum Latinarum.* Berolini T. I, pag. 1.

(3) Corssen. *Beiträge zur Italischen Sprachkunde*, pag. 314 seg. Nelle nozze di Mars con Venus c'è forse una reminiscenza italica delle nozze vediche riprodotte con altre forme nel frammento delle Danaidi di Eschilo, e nel frammento di Crisippo di Euripide (Cfr. A. Nauck *Frag. Trag. Graec.* Lipsiae 1856, pag. 12-497. Muir *Sanscrit Texts.* London 1870. T. V, pag. 22 seg.).

(4) M. Breal. *Les Tables Eugubines.* Paris 1875, p. 64 seg. *Grad-ivus* e *Grab-ovius*, supporrebbero un primitivo *gradh;* il *dh* può sostituirsi nelle lingue italiche o con un *f*, o con un *b*, o con un *d*. Il *Grabu-s* umbro corrisponderebbe al latino *gradu-s;* dall'uno si derivò l'aggettivo *grabovius* e dall'altro il *gradivus*. Nelle *Tavole Eugubine* (I, a. 11; VI, b. 1) si trova del pari *Marte Grabovei* e *Iuve Grabovei.*

(5) Preller. *Röm. Myth.*, pag. 372; Virgilio. *Georg.* I, v. 343:

. . . . . annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis;
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hostia fruges.

comprende assai di lieve in un popolo che ricominciava appunto col nuovo anno la coltura dei campi e le conquiste di guerra ».

Accedit etiam quod voce *Silvanus*, quae in altero Catonis loco supra relato Marti adponitur, processu temporis seiuncta, duo di, *Mars* et *Silvanus* extiterint [1].

Occurrit praeterea romana haec conlucandi lucum ratio [2]: « Porco piaculo facito, sic verba concipito, " si deus, si dea es, quoium illud sacrum est, uti tibi ius est porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo harumque rerum ergo, sive ego sive quis iussu meo fecerit, uti id recte factum siet, eius rei ergo te hoc porco piaculo inmolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi domo familiaeque meae liberisque meis: harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo inmolando esto. " si fodere velis, altero piaculo eodem modo facito, hoc amplius dicito, " operis faciundi causa. " dum opus, cotidie per partes facito. si intermiseris aut feriae publicae aut familiares intercesserint, altero piaculo facito ».

Cantionem adiungo perridiculam [3]: « Luxum siquod est, hac cantione sanum fiet. harundinem prende tibi viridem P. IIII et quinque longam, mediam diffinde, et duo homines teneant ad coxendices. incipe cantare in alio s. f. moetas vaeta daries dardaries asiadaries una petes, usque dum coeant. motas vaeta daries dardares astataries dissunapiter, usque dum coeant. ferrum insuper iactato. ubi coierint, et altera alteram tetigerint id manu prehende, et dextera sinistra praecide ad luxum, aut ad fracturam alliga, sanum fiet. et tamen cotidie cantato in alio, s. f. vel luxato. vel hoc modo, huat hauat huat ista pista sista dannabo dannaustra, et luxato. vel hoc modo huat haut haut istasis tarsis ardannabou dannaustra ».

De hisce omnibus quae taetram illam et subtristem Romanorum superstitionem confirmant, operae pretium existimo huc

---

E Tibullo, II, 1.

. . . . . fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge Ceres.

(1) Corssen, *Orig. poes. röm.* p. 34.
(2) CXXXIX. CXL.
(3) CLX. Cfr. Duruy, *Histoire des Romains*, Paris 1879 tom. I p. 92-93.

integre referre quae idem magister meus doctissime edissertavit[1]: « Se tu guardi al politeismo romano, vi troverai fin dalle origini profondamente radicata la superstizione. In nessun popolo più che in questo dei Latini si mostra quella minuta, rigida e cotidiana preoccupazione del sentimento religioso; così che si potrebbero chiamare senza scandalo i farisei del paganesimo: in essi la superstizione era abituale, e a dir quasi, organizzata in sistema[2]. Il popolo latino fu in certo modo concetto nella superstizione, e nel suo sentimento religioso, se ben si consideri, v'è una tendenza speciale che lo distingue dal greco. Esso tiene più del simbolo che del mito, più dell'astratto che del plastico, più del demoniaco che dell' estetico: e, come nota acutamente il Preller[3], v' è nella mitologia romana quell' unità vaga e misteriosa che l'avvicina piuttosto al panteismo che al politeismo. Ciò non vuol dire che questo panteismo latente di cui sono impressi i miti latini sia lo stesso che quello dei miti germanici, ma è certo che di tutte le razze arye la romana è quella che più s'accosta

---

(1) *Lucrezio*, Firenze 1870 p. 124-134.

(2) La Religione dei Latini era una cosa molto diversa dal sentimento religioso dei moderni. Lo stesso vocabolo *Re-lig-io* dalla rad. *lag* attenuata in *lig.*, legare, e significa vincolo della coscienza, risponde al concetto che se n'erano fatto, cioè quello di un potere che lega e costringe in una rigida disciplina gli uomini agli Dei. Tu ci vedi l'immobilità tenace e la ferrea centralità del cattolicismo moderno anticipata di molti secoli. Cercando addentro nella religione dei Latini si comprende come si comprende come il cristianesimo gittato nello stampo romano dovea riuscire alla centralitá cattolica. Il concetto d'un potere che vincola le coscienze è latino: la Religione per loro non significava altra cosa. In fatti, come nota giustamente il Corssen (*op. cit.*, tom. I., pag. 445) « der Romer fuhlte sich gebunden und bestimmt durch übermenschlich mächtige, geglaubte und geahnte weser. Daher verbunden und verpflichtet derselben zu dienen und zu opfern, ihren willen zu erforschen un ihren zu gehorchen. Aus dieser gebundenheit des bewusteins ist die ganze Lehre der römischen Pontifices und augures mit ihrer kleinlichen und peinlichen gewissenhanftigkeit, mit ihrem krausen verknöcherten schnörkelwerk gottesdienstlicher bräuche und gebärden hervorgegangen ». L'etimologia quindi di *Re-lig-io* da *leg-e-re*, raccogliere, è falsa; benchè l' uno e l' altro verbo derivino forse dalla stessa radice *lag*. Il Vacherot, che del resto non è filologo (scribesis *glottologo*), s' inganna difendendola (*La Religion*, pag. 158. Paris 1869). Non v'è bisogno di supporvi, com'ei fa, un *re-lig-a-ti-o*, al modo di *ob-lig-a-ti-o*; giacchè l'uso sporadico dei suffissi, anche in una stessa radice, può render possibili due forme diverse, come sarebbe nel nostro caso; e come dalla rad. *leg.* (*leg-s*, *lec-s*) abbiamo *leg-a-re*, *leg-a-tus* del pari che *privi-leg-iu-m*, *col-leg-iu-m*. (Vedi Corssen, *op. cit.* pag. 444).

(3) Preller, *Römische Mythologie*, pag. 54.

alla profondità della religione germanica[1]. Tanto che quando influenze elleniche, il travaglio della riflessione filosofica, e grandi rivoluzioni civili da cui fu scosso, trasformarono le disp sizioni primitive di quel sentimento, i latini si trovarono megl

(1) Ciò va inteso per certe parti non per tutte. Giacomo Grimm (*Deutsche M thologie*. Gottingen. (ed. 3) 1854, tom. I, pag. 42, segg.) notò giustamente quel n so che di severo di cui sono impressi i miti germanici. Or bene se tu cerchi addent nella mitologia latina, vi troverai una tendenza austera, qualcosa di grave, di ser di intimo che vi somiglia. I latini, come i Germani, adoravano un Iddio in ogni segr della Natura; anzi era questo segreto che sentivano confusamente e in cui vedeva il Nume. E quando Tacito (*Germania*, cap. 9, ed. Nipperdey) nota dei Germani: « lu ac memora consecrant, deorumque nominibus appellant segretum illud quod sola re rentia vident » non fa che tradurre, direi quasi, ciò ch' era in fondo alla coscier dei Latini. Essi non hanno intuizioni estetiche vive come i Greci, la loro Religio non è uno scherzo di fantasie pronte e spensierate, è la coscienza austera d'un mon invisibile che « reverentia vident », e contemplano quasi da lungi come si contem un arcano. Certo la razza germanica non si impaludò in quella moltiplicità di form farisaiche che prevalsero nella religione latina: il panteismo è in essa più spic e il suo Wuotan, come nota il Grimm (*Deutsche Myth.*, tom. I, pag. 120), espri la vita potente, immensa che circola nelle cose, « das allmächtige, alldurchdringe wesen »; nell'*horror* latino prevale più l'elemento superstizioso che l'estetico. Ma germe c'era, e più tardi, modificato dalle nuove influenze doveva apparire in Lucrez e il demoniaco nel sentimento trasformarsi in estetico. Virgilio ci ritrae mirabilme la forma primitiva del sentimento religioso de' Latini (*En.*, lib. 8, ed. Ladewig. v. 3 segg. in quei versi:

Iam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci, jam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus.....
Quis Deus incertum est, habitat Deus.

Qui tu hai proprio il sentimento demoniaco della razza latina: ciò che predomi in quei primi agresti è l'*horror*; nulla v'è che gli scuota e gli esalti nell'ideale. I nel sentimento di Lucrezio quest'ideale s'è già fatto. Davanti all'infinità della Nat egli si scuote in un modo ben diverso da quegli antichi Latini:

" quaedam divina voluptas
Percipit atque horror, "

ei dice di sè stesso. Qui l'*horror* si perde in una specie di ebbrezza che esalta, il divino invece del demoniaco; che è quanto dire, egli non sente più la presenza un Nume che siede in ogni fenomeno, ma la vita sacra ed inebriante delle cose. questa profondità di sentimento non sarebbe potuta arrivar mai la razza greca quella sua gajezza leggera e volubile: ci voleva una razza più seria e più vicina panteismo che al politeismo, com'era la latina: quindi più atta a sentire gli aspe intimi delle cose. Sì tosto che in queste disposizioni primitive si sia messo un qu che germe che le modifichi, voi avrete una specie novella del sentimento liri un sentimento che non è più il demoniaco dei primi Latini, nè l'estetico dei Gre ma fusione organica di ambedue in un contanuto ideale diverso e più alto. Legg il *Faust*, e sappiatemi dire se fra tutti gli antichi v'è un poema che gli sia più cino del Poema lucreziano.

disposti a sentire la vita immensa che pervade le cose, quel non so che di sacro che respira nella Natura, ed essi, primi fra gli antichi, ebbero nel sentimento quell'entusiasmo intimo, raccolto, solenne, che ci si rivela nel Poema di Lucrezio.

Ma questo non era che un germe nascosto al quale bisognava aspettare le benigne influenze del tempo perchè potesse esplicarsi, sbrogliandosi poco a poco da quella scorza nativa che lo avvolgeva, ed espellendo da sè quelle parti che ne impedivano lo sviluppo. La forma storica primitiva che prese il sentimento religioso dei Latini era appunto quel « demoniaco » di che toccammo più sopra, ed essi erano più disposti a comprendere confusamente le mille potenze invisibili che siedono nelle cose, che quella vita divina che le nutre, le feconda e le rigenera. È un panteismo, se vuolsi col Preller, ma rude ed astratto che riesce ad un concetto austero e pauroso della Natura, non a quel sentimento estetico che nasce da una intuizione animata che si compenetra nella vita del mondo, come fu senza dubbio la forma storica del sentimento germanico, in cui scorgi l'embrione profetico del panteismo di Hegel, di Humboldt, di Göthe.

E d'altra parte non avendo i Latini quella mobilità flessibile del genio greco, quell'impeto creatore che risuscita le intuizioni e i sentimenti in un contenuto ideale, non giunsero, come i Greci, agli individui divini, nei quali, con la spontaneità d'un'immaginazione feconda e rapida, essi convertivano in forme plastiche le impressioni d'organi pronti e gagliardi [1]. Per ciò il sentimento religioso dei Latini ha un che di astratto e di rigido perchè è sentimento d'una deità concepita in un modo confuso, e sembra sottrarsi a tutto ciò che la circoscrive in una forma qualunque. Nella coscienza latina non hai quindi nè la precisa lucidità del politeismo greco, nè la visione profonda ed animata della mitologia germanica, ma l'*horror*, che è quanto dire un brivido secco che ti sorprende e ti scuote più gli organi che il sentimento, che non ti lascia un solco nel vivo del cuore, non ti solleva nè ti esalta le sedi intime della coscienza, ma ti fruga ruvidamente e ti irrita la superficie dei sensi. È uno sgomento rigido che ti

(1) Preller, *Röm. Myth.*, pag. [illegible] « Nirgends (nella mitologia romana) begegnet man jenem poetischen drange des herzens und der einbildunskraft, welcher in die Anschanung und das gefühl für diese wunder veresenkt Religion und Geschichte mit den idealen gestalten der dichtung belebt hätte ».

preme e ti schiaccia un istante, ma non ti lascia nell'anima nessuna impronta estetica: una specie di guizzo nervoso che ti sorvola e ti lambe l'immaginazione, ma non ti illumina a larghi tratti, non ti dà l'estasi dell'infinito: è uno spavento senza poesia, senza voluttà, senza ideale: lo spavento della superstizione, il vero *horror* latino.

E si noti che fu appunto il prevalere di questo sentimento demoniaco che impedì nei Latini quel comunicarsi reciproco del divino e dell'umano, quel consorzio degli uomini e degli Dei, in cui è riposto il sentimento religioso. Giacchè se invece di essere comunione intima del cielo e della terra, li recide e li separa uno dall'altro, o almeno ne allontana i reciproci influssi, il sentimento religioso si scorcia e si congela in quelle formole astratte in quei riti esteriori che sono la maschera della religione [1]. Il politeismo greco era una religione estetica più che superstiziosa, perchè la parte vaga minuta farisaica rilegavasi nel fondo, nè vi spiccava che la parte plastica e individuale: tra il sentimento greco e la Natura s'era fatta una viva ed intima compenetrazione in quell'Iddii usciti dalla fantasia creatrice, e nei quali s'era trasfuso il sangue e l'anima di quella razza privilegiata. Quindi gli Dei della Grecia non erano sconosciuti, ma parto, a dir così, delle sue viscere: essa adorava se medesima in quegli Dei, esaltavasi nel proprio ideale come in un Olimpo trasfigurato dalla feconda illusione del sentimento: e vi si accostava colla serena confidenza del fanciullo che ride e folleggia in grembo alla madre. E quando s'accorse che non erano altro che forme del suo spirito, quando la riflessione filosofica fu costretta a disfare quelle creature olimpiche, le disfece, a dir così, dolcemente: fu come si fossero dispiccate da per se stesse e senza sforzo dall'immaginazione che le aveva nutrite, quasi frutti maturi che si levano dal picciuòlo che li sostenne.

Ma il popolo romano non ha potuto mai compenetrarsi con quel divino che sentiva confusamente dentro se stesso, e gli si porgeva come un che di perplesso e di scuro campato in una profondità lontana e sconosciuta. Par che non osi avvicinarsi a' suoi Dei, compenetrarsi con loro, comunicarvi il suo sangue, la

(1) Hartung, *Die Religion der Römer*. Erlangen, 1836, tom. I, p. 247. « Finden wir in Rom die seltene erscheinung dass von der positive Religion die subiective vollkommen verschlungen war »,

sua vita, e farli carne della sua carne ed ossa delle sue ossa: non ardisce nemmeno di sapere chi sieno[1]. Il Dio latino si sta quindi al di fuori del sentimento; non lo trasforma, non se ne rinsanguina: perciò non poteva uscire dalla rude coscienza di quel popolo nessuna di quelle forme viventi che sono effetto di un interiore connubio del sentimento colla Natura. I suoi Dei non hanno epifanie[2], si rimangono ignoti, incerti, stranieri alle facoltà umane: quindi la religione latina non ha tendenze estetiche ma solo intendimenti e, direi quasi, inquietudini morali. Dalla flessibilità creatrice e rapida dell'immaginazione greca uscivano sempre nuovi Iddii; essa rifaceva sempre colla spensierata agilità dello scherzo il suo Olimpo: il popolo romano non cangiò mai del tutto i suoi Numi, e anche quando i miti aristocratici della Grecia si sovrapposero agli antichi miti del Lazio, sotto quella apparente trasfigurazione, vivevano intatti i vecchi Iddii, non potuti dimenticar mai da quel popolo tenacemente devoto al culto patrio. Il quale, se ben si riguardi, era gittato, a dir così, fino dalle origini prime in uno stampo preciso e rigido che ne strozzava ogni sviluppo libero: era un sentimento senz'organi, senza energia generatrice, severo e triste, a somiglianza di quella vita rude, laboriosa, onesta, ma senza larghi orizzonti poetici, senza margini ideali, secca ed astratta come una formola[3]. I suoi Iddii non nascono da una ebbrezza estetica della vita, ma da un sentimento doloroso delle sue miserie e delle sue pene, sanno più del travaglio e del sudore dei campi, che d'una fantasia lieta ed agile.

Tutte queste Deità senza nome, senza storia, senza prole, o a dir meglio, tutte queste potenze demoniache disseminate per

---

(1) Vedi Preller, *op. cit.*, p. 56, segg. Le formole che adoperavano spesso invocando gli Dei erano « quisquis es, sive quo alio nomine fas est appellare — sive Mas sive Femina — si Deus si dea », e quindi l'invocazione confusa di tutti gli Dei sconosciuti, dopo il rito speciale a ciascun Dio. — Cfr. c. CXXXIX supra adlatum.

(2) Vedi Preller, *op. cit.* pag. 54, segg.

(3) Gaston Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de M. T. Varron*, Paris, 1861, p. 242, segg. e p. 294, segg. Cerchisi nei frammenti di Varrone, in Sant'Agostino e Tertulliano che si riferiscono a lui, quella lunga litania di deità plebee, come le chiamavano, destinate ai più minuti e vili offici, dalla Dea *Levana* alla Dea *Nenia*, e si vedrà come la superstizione avvolgeva nelle sue reti ogni atto della vita: tanto che la coscienza si impediva e si soffocava in un'atmosfera farisaica che le toglieva ogni libertà ideale. Era proprio un nodo profondo che bisognava rompere con mano animosa, come dice Lucrezio.

ogni fenomeno, portavano un mondo che pesava sul sentimento latino come una incognita che non si sapeva comprendere se non si rivelava da sè. Ma l'epifanie divine dei Romani tenevano un modo diverso da quello dei Greci. Infatti gli Dei della Grecia si rivelavano come forme viventi ed estetiche; gli Iddii di Roma si rivelavano per mezzo di certi fenomeni, quasi per altrettanti cenni della loro misteriosa presenza: anzi erano sempre i fenomeni più tetri che avvertivano dell'Iddio nascosto. Nello scuro silenzio d'una foresta, in una voce notturna che sorgesse minaccevole da una profondità sconosciuta, in un sobbalzo improvviso della terra, in una subita ecclissi di sole, in un tuono che scoppiasse a ciel sereno, i Romani sentivano come un avvertimento di arcani voleri e la presenza d'un Nume invisibile: *Numen inest.* Il guizzo d'un lampo, il volo d'un augello, il tremito d'una fibra, il sibilo d'un serpe, il gemito d'un gufo, davano argomento a presagi e paure. « L'inauspicato » era una gran colpa, e cagione di battaglie perdute: le sciagure della patria un giusto castigo per i templi deserti e le are digiune di vittime: al di là della vita le larve, i lemuri, gli spettri vaganti attorno le sepolture, lo spavento delle fallite esequie, le tenebre mute dell'Orco.

A dir breve, il politeismo che a noi par sì sereno, e che specialmente in Grecia lo era nei primi periodi, fu sempre severo e triste a Roma, ed impigliato in quelle superstiziose abitudini che lo fanno tanto diverso dal Greco [1]. Ed è per ciò che in quella disgregazione del mondo ellenico, in quello stato critico delle menti latine negli ultimi tempi della repubblica, quando Ennio traduceva *Evemero* e componeva l'*Epicarmo,* quando Lucrezio scriveva il *De Natura Rerum,* e Cicerone il *De Natura Deorum* e il *De Divinatione:* quando Cesare in faccia al Senato snudava la sua incredulità colla fredda indifferenza dello scettico, la superstizione

---

(1) Nondimeno in quel ciclo di Miti che si aggruppano intorno a Vesta e s'attengono a quanto v'ha di più vivo e di proprio nel sentimento latino, v'era una vena di poesia popolare e originale. (Vedi Preller, *Röm Myth.*, p. 553). La poesia dei Penati è tutta romana e affatto sconosciuta ai Greci. V'è qualcosa di tenero e di verginale che spicca ancor meglio in quella rigidezza severa di riti e di formole. Che pittura fine e delicata ci porgono i poeti di questi cari Iddii del focolare domestico! Orazio (ed. Fr. Ritter, tom. I, lib. 3, od. 23) ci ritrae una fanciulla del popolo che inghirlanda di rosmarino e di mirto fragile gli Dei piccioletti:

" Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto. "

si rimaneva infitta tenacemente nella coscienza del volgo. Il quale, pur tra quella alluvione forestiera di culti e tra quella miscredenza d'aristocratici che lo affascinava con mille influssi reconditi, serbò vivace l'istinto superstizioso che non fu potuto disvellere se non dopo sforzi lunghissimi, sorvisse alla caduta del politeismo e s'abbarbicò al cristianesimo risuscitando, con forme diverse, quelle potenze demoniache che sconcertano ancora l'ignoranza delle credule plebi. Si direbbe anzi che nella coscienza latina si aprisse come un segreto andito per cui rientrasse non vista la superstizione cacciata via dall'intelletto: giacchè spesso ne erano impressi, quasi loro malgrado, gli spiriti meglio sicuri, e coloro che deridevano gli Dei, si sbigottivano degli spettri notturni e sagrificavano ai Mani ».

Quaedam insuper, ut de ceteris sileam, de miserrima illius temporis servorum condicione perhibentur, quos, ut vidimus in vita[1], parce ac duriter habebat Noster, atque huc potissimum spectabat ut maximos ex illis fructus quam minimo impendio perciperet.

Postremo quod attinet ad rei rusticae historiam magni faciendus hic liber est, ut patet ex Mommsen qui, praeeunte Catone, duodecimum historiae suae caput, cui titulus: *Boden-und Geldwirthschaft*, egregie concinnavit.

E Giovenale, deposta la bile satirica, ci descrive una festa dei Lari paterni con tanta soavità d'immagini da parerti un frammento idillico di Tibullo (Vedi *Sat.*, XI, v. 65, segg. ed. Otto Iahn):

" Ite igitur pueri linguis animisque faventes,
Sertaque delubris et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem.
Iam sequar, et sacro, quod praestat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Jovem. laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violae jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis. "

Qui ci si rivela un nuovo aspetto del genio di Giovenale: anche il Nisard, così severo, e qualche volta ingiusto contro di lui, è costretto a lodare la poesia deliziosa di questi versi. (Vedi Nisard, *Poètes Latins de la décadence.* Paris, ediz. 3, tom. 2, pag. 79).

Adde quae apud ipsum Catonem leguntur: « (Vilica) rem divinam ne faciat neve mandet, qui pro ea faciat, iniussu domini aut dominae. scito dominum pro tota familia rem divinam facere. munda siet: villam conversam mundeque habeat: focum purum circumversum cotidie, priusquam cubitum eat, habeat. kalendis, idibus, nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat, per eosdem dies lari familiari pro copia supplicet » (CXLIII, 2); « Pater familias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die, si potet circumeat » (II, 1).

(1) Cfr. p. 31-32.

CAPVT III.

DE ORIGINIBVS

BIBLIOGRAPHIA

Cornelius Nepos XXIIII, 3, 3-5 ed. Nipperdey; Ioan Hugo van Bolhuis *Diatribe literaria in M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt scripta et fragmenta*, Trai. ad Rh. 1826 p. 1-61; G. C. Brillenburg *De M. Porcio Catone Censorio* Lugduni Batav. 1826 p. 91-101; Augustus Krause *Vitae et fragmenta veterum historicorum romanorum* Berolini 1833 p. 89-125; Augustus Wagener *M. Porcii Catonis Originum fragmenta emendata disposita illustrata* Bonnae 1849; Albertus Bormann *M. Porcii Catonis Originum libri septem* Brandenburgii 1858; Henricus Iordan *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant* Lipsiae 1860 p. XIX-LXI et 3-30; Hermannus Peter *Historicorum romanorum relliquiae* Lipsiae 1870 vol. I, p. CXXVII-CLXVII et 51-94; M. A. Berger, *Histoire de l'éloquence latine*, Paris 1872, vol. I p. 219-225; Georgius Vollertsen *Quaestionum Catonianarum capita duo* Kiliae 1880 p. 37-49.

Cum hoc esset in more positum institutoque Romanorum, ut praeter annales illos et commentarios publicos, privata quoque monumenta haberentur et ad usum, si qui eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem [1], fieri profecto non poterat quin mature excoleretur historia.

Qui autem primi res gestas populi Romani litteris prodiderunt, habendi sunt Q. Fabius Pictor [2] et C. Cincius Alimentus [3]; sed cum annalium ieiunitatem saepe saepius expresserint et Graecam usurparint orationem, bene primus, qui Romanam historiam et latius patentem [4] et soluto ac patrio sermone conscripsit, iure dicitur M. Porcius Cato.

Eius historiae titulus fuisse creditur « Origines », qui cum communi veterum testimonio, tum etiam ipso instituto operis confirmatur. Siquidem ut Cornelius Nepos [5] ait: « Primus (liber) continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse ».

Festus [6] autem « Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea quae sunt rerum gestarum populi Romani ». Sed quanti faciendae sint quorundam grammaticorum reprehensiones, qui ingeniosius molestiusque in librorum titulos saepenumero inquirunt,

---

(1) Cic. *Brut.* 16, 62.

(2) Cfr. Peter *op. cit.* proleg. p. XIX-C et fragm. p. 5-39.

(3) Cfr. Peter *op. cit.* proleg. p. CI-CXVII et fragm. p. 40-43.

(4) « Verba Catonis ex originum quarto haec sunt: Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit » Gell. II, 28, 6 apud Peter *op. cit.* p. 73.

(5) *Op. cit.* 3, 3.

(6) pag. 198 M.

satis ostendit Henricus Iordan[1], duobus etiam Servii[2] locis adlatis. Veteres autem qui Catonianas Origines, Ἱστοριῶν[3], Annalium[4], Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιότητος[5], Ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας[6] nomine donaverunt, potius quam ad germanum operis titulum, ad res pertractatas spectasse existimarim.

Utrum Noster in usum filii sui Origines conscripserit necne, inter criticos vehementer ambigitur: quin immo Hermann Peter[7] et Georgius Vollertsen[8], qui nuper Catonianas quaestiones aggressi sunt, adfirmare non dubitant prorsus esse amandanda quae habet Plutarchus[9]: « Καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοι τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι ». Contra ego rem aliter expediam. Cum Origines constet in senectute confectas, aut primum aut tres primos libros, qui proprie, ut supra innui, Origines appellantur, in usum filii exarasse Catonem dixerim anno circiter 572-182 vel 575-179 (aetatis suae LII vel LV, filii X vel XIII)[10], et serius,

---

(1) *Op. cit.* pag. XXI. Cfr. etiam Front. *De principiis histor.* p. 224 ed. Rom. « Ita Cato oppidatim statuis ornandus, qui primus Latini nominis sobolem et Italicarum civitatium pueritias inlustravit ».

(2) *Georg.* I, 1 « Male quidam georgicorum duos tantum esse asserunt libros, georgicam dicentes esse γῆς ἔργον, id est terrae operam, quam primi duo continent libri, nescientes tertium et quartum, licet georgicam non habeant, tamen ad utilitatem rusticam pertinere » et *Aen.* VI, 752 « Qui bene considerant inveniunt omnem Romanam historiam ab Aeneae adventu usque ad sua tempora summatim celebrasse Vergilium ... unde etiam in antiquis invenimus opus hoc adpellatum esse non Aeneidem sed gesta populi Romani ».

(3) Plut. Κάτ β. XX, 4. XXV, I.

(4) Liv. *Epist.* XLIX; Plin. *N. H.* VIII, 5, 11.

(5) Ioan. Lyd. *De magistr.* I, 5 p. 125 ed. Bk.

(6) Dionys. I, 74. Originum vero inscriptionem videtur reddidisse I, 11: « (Κάτων), ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών ».

(7) *Op. cit.* CXXIX-CXXX.

(8) *Op. cit.* p. 39-40.

(9) *Op. cit.* XX, 4.

(10) Quamquam Varro apud Censorin. 14, 2, testatur, senem dici hominem sexagenarium (cfr. Ritschl, *Parergon Plaut.* I, p. 62), attamen qui quinquagesimum vel quintum et quinquagesimum aetatis suae annum expleverit haberi potest senex et dici.

Frustulum a Plinio (*op. cit.* III, 14, 114) servatum: « Ameriam supra scriptam Cato ante Persei bellum conditam annis DCCCCLIII prodit », ex quo, ut aiunt critici, conficitur Nostrum post bellum Persicum librum II Originum scripsisse, serius fortasse insertum crediderim, cum, ut supra dixi, Originum libros Cato retractandos atque absolvendos suscepisset.

De falso Livii (XXXIV, 5, 7) testimonio, quo fit ut L. Valerius, tribunus plebis anno 559-195, suas adversus Catonem Origines revolveret, satis superque dixerunt Peter (*op. cit.* p. CXXVIIII) et Vollertsen (*op. cit.* p. 40).

cum in studia alacrius intendisset, ceteris libris, qui res memoria dignas usque ad suam aetatem continebant, adiectis, illos retractasse ut propriam historiae formam inducerent.

De Originum instituto earumque pristina forma, cum fere nihil ex frustulis liceat exsculpere, gravissimum Cornelii Nepotis [1] testimonium adferam dicentis: « Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri VII. Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliqua [que] bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos; atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia, nulla doctrina ». Quae verba diligenter pro captu perpendam, ut magis magisque Catoniani operis rationem aperiant.

Primum omnium ait Cornelius Nepos: « (Cato) senex historias scribere instituit ». Cui testimonio veteres suffragantur, praesertim Cicero qui Catonem ita de se dicentem inducit: « Septimus mihi liber Originum est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo [2] » et alibi « Et vero etiam tum Catone vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit [3] » ... « Summa senectute, ut ante dixi M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit; quam orationem in Origines suas rettulit, paucis antequam mortuus est diebus an mensibus [4] ».

Sequitur Nepos: « Earum sunt libri VII », quae verba nequaquam revocanda sunt in dubitationem. Siquidem septem dumtaxat libri a grammaticis citantur, et de septimo mentionem facit Cicero.

Hos prooemio donaverat Cato, ut priora fragmenta videntur ostendere: « Si ques homines sunt, quos delectat populi Romani

---

(1) *Op. cit.* 3.
(2) *De senect.* XI, 38. Ciceronis dialogus habetur an. 604-150.
(3) *Brut.* 20, 80.
(4) *Brut.* 23, 89.

gesta discribere[1] »; « Principiorum ad historiam pertinentium species sunt tres: de historia, de persona, de materia. aut enim historiae bonum generaliter commendamus, ut Cato, aut pro persona scribentis rationem eius quod hoc officium adsumpserit reddimus, ut Sallustius, aut eam rem quam relaturi sumus dignam quae et scribatur et legatur ostendimus, ut Livius ab urbe condita[2] ».

Unde perspicitur quanto usui esset memoria rerum gestarum Catonem dixisse, cuius sententiae imitator fortasse exstitit Sallustius, qui in Catilinariae coniurationis et Iugurthini belli prooemiis ad Catonem respexit. Atque etiam, ut par est credere, de Nostro hic voluit intellegi[3]: « Cuius (memoriae rerum gestarum) de virtute quia multi dixere, praetereundum puto »:

Accedunt praeterea quae habet Cicero[4]: « Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit originum suarum, semper magnificum putavi, clarorum hominum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem extare oportere ». Quo in fragmento si adicias quod Cicero ait[5]: « Publicum Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis: nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset » et alibi[6]: « Quam est hic fortunatus putandus ... qui ut Africanum avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus agere, quam nihil cum ageret nunquam minus solum esse, quam cum solum esset », Scipionem reprehendi colligit Wagener[7], cum praesertim liqueat nulla Scipionis exstare ingenii monumenta litteris mandata, nullum opus otii, nullum solitudinis munus[8].

Catonianis verbis dispositis, Albertus Bormann[9] Originum prooemium ita ex ingenio suo reconcinnavit: « *Si qui homines sunt, quos delectat populi res gestas scribere*, eorum ego quidem non improbo studium, quamquam animi voluptatisque causa exercentur;

---

(1) Apud Peter *op. cit.* p. 51. Iordan *op. cit.* p. 3 ita fragmentum scribit: « Si queis homines sunt quos delectat populi Romani res gestas describere ».

(2) *Excerpt, rhet.* apud Peter *op. cit.* p. 52.

(3) *Iugurth.* 4, 2. Cfr. Peter *op. cit.* p. CXXXVII-CXXXVIII.

(4) *Pro Planc.* 27, 66.

(5) *De offic.* III, 1, 1.

(6) *De rep.* I, 17, 27.

(7) *Op. cit.* p. 16.

(8) Cic. *De offic.* III, 2.

(9) *Op. cit.* p. 29-30.

nam *nihil agendo homines male agere discunt.* Nec unquam vir vere magnus desidia atque socordia ingenium torpescere passus est; quin etiam *Scipio Africanus dicere solebat, nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus, nec minus solum, quam quum solus esset.* Verum ego non delectationis causa ad scribendum me contuli, sed ut *rationem redderem* civibus *otii. Clarorum enim virorum non minus otii quam negotii rationem extare oportet* ».

« Primus (liber) continet res gestas regum populi Romani » Quae quidem sententia ipsis quoque fragmentis hactenus servatis confirmatur.

Siquidem, ut Cato narrat, Aeneas cum patre in Italiam venit (fr. 9), atque a Latino agri iugera IIDCC, qui est inter Laurentum et castra Troiana accepit (8) Laviniamque uxorem (11). Deinde cum Aeneae socii iuxta Laurolavinium praedas egissent, proelium commissum inter Aeneam et Latinum (10), cui in auxilium venit Turnus ob Laviniam Aeneae datam iratus (11). Latino in eo proelio occiso, Turnus ad Mezentium confugit et, viribus comparatis, renovavit bellum (10) in quo ipse periit cum Aenea (9. 10. 11); tunc vero Mezentium singulari certamine interemit Ascanius et Laurolavinium tenuit (9. 10. 11) [1]. Lavinia timens Ascanii insidias gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyri. Et illic enixa est Silvium. Sed cum Ascanius flagraret invidia, evocavit novercam et ei concessit Laurolavinium, sibi vero Albam constituit. Qui quoniam sine liberis periit, Silvio, qui et ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. — Postea Albani omnes reges Silvii dicti sunt ab huius nomine [2].

Praeterea est animadvertendum Catonem de Aboriginibus in hoc libro verba fecisse, hac praesertim de causa, quod ii adventu Aeneae cum Phrygibus iuncti Latini uno nomine sunt nuncupati [3].

Hic liber XXX fragmentis nunc constat, quibus, si Bormanianam prooemii restitutionem recipias, adiciendus erit Columellae locus [4]: « Illud verum M. Catonis oraculum: nihil agendo homines

---

(1) « Si veritatem historiae requiras, primo proelio interemptus Latinus est in acie. inde, ubi Turnus Aeneam vidit superiorem, Mezentii imploravit auxilium, secundo proelio Turnus occisus est, et nihilominus Aeneas postea non comparuit. tertio proelio Mezentium occidit Ascanius. hoc Livius dicit et Cato in originibus » Serv. *Aen.* VIII, 745.

(2) Frag. 11.

(3) Frag. 5.

(4) XI, 1.

male agere discunt », necnon Tulliani illi: « Quam est hic fortunatus putandus, qui ut Africanum avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus agere quam nihil cum ageret, nunquam minus solum esse quam cum solus esset »; « P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, nunquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset[1] »: quam utriusque loci sententiam Plutarchus [2] Graece reddidit: « Σκιπίων δὲ ὁ πρεσβύτερος τὴν ἀπὸ τῶν στρατηγιῶν καὶ τῆς πολιτείας σχολὴν ἐν γράμμασι διατριβὴν ποιούμενος ἔλεγεν, ὁπότε σχολάζει, πλείονα πράττειν ».

« Secundus et tertius (liber) unde quaeque civitas orta sit Italica » pertractat. Sed cum non constet quo potissimum ordine Italicarum civitatium origines digesserit Noster, Wagnerianam sententiam a Peter[4] receptam hic sequor. Quando enim secundo libro agitur de Liguribus (fr. 32), Libuis (33), Gallis (34), Marrucinis (53), Tiburtibus (57), Latinis (58), Arpinatibus (61), tertio de Rheginis et Taurinis (71), ex septentrione descendisse creditur Cato ad meridiem, secundo libro Galliae Italiaeque superioris, tertio inferioris civitatium origines expositurus.

Nec urbium dumtaxat origines descripsit Noster (37. 40. 42. 48.), nomen (46. 53. 54. 60.), et conditorem indicans (57. 59. 49. 69.); sed mores quoque attigit (31. 32. 53. 54.), agrorum fertilitatem (59), fructus (139. 43), feras (52), per quot millia tenderetur solum (38. 50), quot urbes populi illi incolerent (35) et eorum etiam gesta resignavit (36. 72).

Ex secundo libro XXXII nunc fragmenta supersunt, ex tertio IX.

Quod pertinet ad Sabinorum originem, expungenda e fragmentis existimo quae habet Servius[3]: « Curibusque severis] Aut " severis " disciplina aut rem hoc loco reconditam dixit, quia Sabini a Lacedaemoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de origine urbium Italicarum, a Sabo, qui de Perside Lacedaemonios transiens ad Italiam venit et expulsis Siculis tenuit loca, quae

---

(1) Cic. *De rep.* I, 17, 27. *De off.* III, 1, 1 haec fragmenta recenset Peter inter incertorum librorum relliquias selectas *op. cit.* p. 91.

(2) *Apophth. reg. et. imp.* 1.

(3) *Op. cit.* p. CXXXVIIII-CXXXX.

(4) *Aen.* VIII, 638.

Sabini habent. — Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos originem referunt; porro Lacedaemonios durissimos fuisse omnis lectio docet, Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum idem Cato dicit: merito ergo " severis," qui et a duris parentibus orti sunt, et quorum disciplinam victores Romani in multis secuti sunt », nam manifesto refragantur iis quae Dionysius[1] Catonem dixisse testatur: « Κάτον δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεχνῆναί φησιν ἐπὶ Σάβου τοῦ Σάγκου δαίμονος ἐπιχωρίου, τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων πίστιον καλεῖσθαι Δία. πρώτην δ' αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστροῦναν ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην, ἐξ ἧς ὁρμηθέντας τότε Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν Ἀβοριγίνων ἅμα κατοικούντων καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας ἄλλας δὲ πόλεις κτίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κύρεις· χώραν δὲ κατασχεῖν τῆς μὲν Ἀδριανῆς θαλάττης ἀπέχουσαν ἀμφὶ τοὺς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίους σταδίους τῆς δὲ Τυρρηνικῆς τετταράκοντα πρὸς διακοσίοις· μῆκος δὲ αὐτῆς εἶναί φησιν ὀλίγῳ μεῖον σταδίων χιλίων. Ἔστι δέ τις καὶ ἄλλος ὑπὲρ τῶν Σαβίνων ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις λεγόμενος λόγος, ὡς Λακεδαιμονίων ἐποικησάντων αὐτοῖς καθ' ὃν χρόνον ἐπιτροπεύων Εὔνομον τὸν ἀδελφιδοῦν Λυκοῦργος τῇ Σπάρτῃ ἔθετο τοὺς νόμους. ἀχθομένας γάρ τινας τῇ σκληρότητι τῆς νομοθεσίας καὶ διαστάντας ἀπὸ τῶν ἑτέρων οἴχεσθαι τὸ παράπαν ἐκ τῆς πόλεως· ἔπειτα διὰ πελάγους πολλοῦ φερομένους εὔξασθαι τοῖς θεοῖς (πόθον γάρ τινα ὑπελθεῖν αὐτοὺς ὁποιασδήποτε γῆς) εἰς ἣν ἂν ἔλθωσι πρώτην, ἐν ταύτῃ κατοικήσειν. καταχθέντας δὲ τῆς Ἰταλίας περὶ τὰ καλούμενα Πωμεντῖνα πεδία τό τε χωρίον, ἐν ᾧ πρῶτον ὡρμίσαντο, Φορωνίαν ἀπὸ τῆς πελαγίου φορήσεως ὀνομάσαι καὶ θεᾶς ἱερὸν ἱδρύσασθαι Φορωνίας, ᾗ τὰς εὐχὰς ἔθεντο· ἣν νῦν ἑνὸς ἀλλαγῇ γράμματος Φερωνίαν καλοῦσιν. ἐκεῖθεν δ' ὁρμηθέντας αὐτῶν τινας συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι· καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ τῶν νομίμων εἶναι Σαβίνων Λακωνικά, μάλιστα δὲ τὸ φιλοπόλεμόν τε καὶ τὸ λιτοδίαιτον παρὰ πάντα τὰ ἔργα τοῦ βίου σκληρόν ». Huius discrepantiae causa ex hoc fluxisse videtur: cum Servius Gellii potius quam Catonis sententiam apprime teneret, factum arbitror ut eandem utrique sententiam affingeret. Nec faciunt contra quae Servius adtexuit: « Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum idem Cato dicit » non est enim cur ex eodem Catonis loco hanc sententiam necessario

(1) II, 49.

derivatam putemus. Eo etiam accedit quod, ut ait Dionysius, opinio illa in domesticis Sabinorum historiis (ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις) exstabat, quae Tusculanum nostrum latere non poterant[1].

« In quarto autem (libro) bellum Poenicum primum, in quinto secundum ». Hos vero libros parum accurate definivit Cornelius; nam in quarto non modo bellum Punicum primum, sed secundi quoque belli Punici partem usque ad initium belli Hannibalici (fr. 84), et cladem Cannensem (fr. 86. 87), fuisse pertractatam ex fragmentis manifesto colligitur. Quae etiam dicenda sunt de libro quinto, ut liquet ex oratione pro Rhodiensibus (fr. 95), in eo inclusa, quam serius a Catone habitam scimus.

Sed hic subdifficilis oritur quaestio, utrum videlicet Cato, praeter Italicarum civitatium origines, de quibus in secundo ac tertio libro actum vidimus, Romanae etiam rei publicae historiam ab exactis regibus usque ad bella Punica conscripserit necne. Hermann-Peter[2] haec habet in rem: « Etiam hic Nepotem, cum brevitatis studiosus esset, neglexisse concedetur, quae Cato ut bella Punica cum regum rebus gestis coniungeret, ab exactis regibus repetiisse videtur. quamquam enim fuerunt (ut Blum *Einleit.* p. 112, Lewis, *Untersuch.* I p. 36. Mommsen h. R. I p. 925, Iordan p. XXIII) qui a Catone horum temporum res, quippe quae testibus parum certis memoriae proditae essent, silentio praetermissas esse censerent, tamen equidem non video, cur Cato cum Punicis potissimum bellis denuo initium fecerit scribendi? nimirum etiam quae antecedebant bella, tum viro Romani satis esse explorata videbantur. cur igitur haec describere noluit, cum primum librum regum Romanorum rebus enarratis explevisset? denique Cicero, qui origines multum lectitaverat, diserte Catonem in eis ponit, quorum historiam nihil aliud fuerit nisi annalium confectio. Quod vero breviter haec tempora absolvit, nobis mirum non erit considerantibus, eadem ratione etiam ceteros, qui antea fuere, scriptores res Romanas veteres percurrisse, ut quo propius ad suam aetatem accedebant, fusius narrarent. hac una re eum a Fabio et Cincio in hac rerum Romanorum parte tractanda discessisse propter fr. 77 largior, quod spreta annalium publicorum ieiunitate, qua etiam Fabii Cinciique plerumque contenti fuerant,

(1) Lion removendae difficultatis causa pro « a Sabo Lacedaemone » perperam « a Sabo loci daemone » scripsit.

(2) *Op. cit.* p. CXXXXI-CXXXXII.

non mera nomina et exiguas res proposuisse videtur sed filo orationis desperato " capitulatim " (de qua voce vide infra) gravissimam tantum modo res, de quibus plura memoriae tradita erant, protulisse ». Huic sententiae, quae compluribus etiam ante Peter adriserat, aliquot difficultates opponam. Et primo omnium iuvabit notasse in fragmentis libri II et III, quae, ut dixi, de originibus civitatium Italicarum earumque moribus pertractant, nihil prorsus occurrere quod ad Romanae rei publicae historiam pertineat. Praeterea quam tueor sententia, aperte a Dionysio [1] confirmatur: « Scribit enim ex hominibus Graecis Hieronymum Cardianum, Timaeum Siculum, Antigonum, Polybium, Silenum permultosque alios antiquitates Romanas breviter attigisse; similesque historias edidisse, quotquot Romani homines urbis suae res antiquas Graeco sermone scripsissent; velut Qu. Fabium Pictorem, L. Cincium Alimentum, bellis Punicis aequales, eas res quibus ipsi interfuissent diligenter litteris mandasse, « τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς » percurrisse. Quas ob causas sibi visum esse pulcherrimam historiam a superioribus, i. e. Graecis auctoribus, intactam silentio non praeterire. In historia autem scribenda se adiutum esse cum doctissimorum hominum colloquiis tum maxime laudatorum ab his virorum ἱστορίαις superiorum saeculorum, scilicet Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis, Licinii Macri, Aeliorum, Gelliorum, Calpurniorum « ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματεῶιν (εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι) ». E quibus auctoribus Dionysius libro quinto sequentibusque, qui continent historiam reipublicae Romanae post reges expulsos, solos laudat Licinium Macrum (V, 74. VI, 11. VII, 1), Gellium (VI, 11. VII, I) Calpurniumque Pisonem (XII, 4). Iam vero cum in libris quattuor prioribus, in quibus regum res gestae narrantur, Catonem saepius quam ceteros afferat, scilicet septies (I, 7. 11. 13. 74. 79. II, 49. IV, 15), in auctoribus enumerandis principem ei locum det, saepe eius industriam magnis laudibus efferat eiusque fidem Fabio Pictori et Vennonio (IV, 15) anteponat, Dionysium in his libris Catonem persaepe in usum vocasse apparet [2]. Atqui in sequentibus libris Dionysius Catonem nusquam nominat, etsi usque ad undecimum eius libri integri ceterorumque copiosa fragmenta servata sint. Ergo ex hoc silentio licere mihi

(1) *Ant. R.* I, 6-7.

(2) Eam quoque rem testatur Kiessling *De Dionysii fontibus* p. 18.

videtur concludere Catonem historiam Romanam post reges exactos non tractasse. Quae si non ita se haberent, Dionysium eo auctore, quem in prioribus libris magnis laudibus sustulerat atque persaepe in usum vocaverat, in sequentibus quoque usurum gravissimaque eius auctoritate se firmaturum fuisse verisimillimum esset, praesertim cum historia liberae reipublicae tam incerta atque dubia esset, ut Catonis auctoritate permulta et falsa emendatiora reddi atque illustrari potuissent. Si quis mihi opposuerit Dionysium etiam Valerium Antiatem, quem illa liberae reipublicae tempora narrasse constaret, in sequentibus libris non laudasse, non magni id momenti esse puto. Nam Valerium Antiatem, bis tantum laudat (I, 7. II, 12) atque pauca e Valerio Antiate hausisse mihi videtur, etsi Peterus H. R. rell. prol. p. CCCXIV multa ex illo tacite Dionysium exscripsisse censet. Attamen etiamsi illud Peteri ἀξίωμα (H. R. rell. prol. p. LXI) largiamur, veteres auctores primariorum fontium nomina non adscripsisse, nisi ut illos corrigerent aut doctrinae suae fructu gloriarentur, atque Livium, Dionysium, Plutarchum, cum auctorum quorundam testimonia reicerent, minime eorum auctoritatem ipsos sprevisse, immo vero praecipuis auctoribus κατ' ἐξοχὴν usos esse[1], nihilominus fieri non potuit, ut Dionysius bis modo Valerii Antiatis nomen afferret, cum hoc quidem auctore, quem Livius saepissime propter dubiam fidem vituperet (Nissen Krit. Unt. p. 43 sq.), usus multa et falsa ut corrigeret atque eruditione doctrinaque gloriaretur necesse esset[2] ».

Haud scio autem cur Vollertsen[3] ad refutandam adversariorum sententiam Tullii[4] verbis nitatur dicentis: « Quam ob rem ut ille (Cato) solebat, ita nunc mea repetet oratio populi Romani originem: libenter enim etiam verbo utor Catonis »; nam, ut manifesto conficitur, ad primum dumtaxat Catonianae historiae librum Tullius respexit. Item missa facio quae e Gellio[5] adfert Vollertsen cum Mommsen, Iordan aliisque: « Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit »,

(1) Eandem rationem iam septem annis ante pater eius constituit. Cfr. C. Peter, Livius und Polybius. Ueber die Quell. d. XXII u. XXII B. des Livius. Halle 1863 p. 3.

(2) Vollertsen, *op. cit.* p. 42-43.

(3) *Op. cit.* p. 43.

(4) *De rep.* II, 1, 3.

(5) II, 28, 6. Cfr. fr. 77 apud Peter.

ex his enim, ni fallor, tantummodo colligitur annalium ieiunitatem a Catone fuisse vitatam.

« Nepotis verba: " atque haec omnia capitulatim sunt dicta " viris doctis molestam ad interpretandum crucem, ut ita dicam, praebuerunt, cum de significatione vocis " capitulatim " vehementer inter se differant. Quid viri docti de ea re existimaverint, iam breviter exponam.

a) Heerenius de Plut. font. p. 126. " capitulatim " vertit " breviter et sine ornatu."

b) Bolhuisius l. l. p. 3 idem vult. cf. Pauly Realenc. l. l: " bündig ".

c) Closset essai etc. p. 457: " Le récit des Origines était d'une extrême brièveté (κεφαλαιωδῶς). Ad sententiam suam confirmandam attulit locum Sallustii apud Victor. in Cic. lib. I. de inv. " Cato Romani generis disertissimus multa paucis absolvit."

d) Fr. D. Gerlach, Geschichtsschreiber d. Römer p. 56 vertit: in grossen Zügen dargestellt.

e) Bormanus l. l. p. 35: " capitulatim h. l. idem atque apud Plin. n. h. II., 12, 55: breviter atque capitulatim attingam. (apud Graecos scriptores κεφαλαιωδῶς). Noli putare Catonem capitulatim dixisse, quae si ita essent, Nepos sane scripsisset: atque haec omnia capitulatim scripsit ". Praeterea repugnant nonnulla fragmenta, velut de Q. Caedicio. Itaque Nepos hoc dixit: " haec omnia (quae de summario V librorum priorum modo proposuerat) capitulatim dixi." —

Neque negaverim hanc interpretationem valde subtilem esse atque veritatis speciem prae se ferre videri, quippe cum vox " dicendi " pro illa " scribendi vel narrandi " posita magis poeticae quam prosae orationis proprium sit. At fieri non potest, ut ea verba ita interpretemur, cum si id faciamus verba " pari modo " i. e. capitulatim, per se intellegi non possint. Peterus quoque Bormanni opinionem reicit p. CXXXXIII an. 1.

f) Ribbeckius (Schweiz. Mus. p. 7 sq.): nach Hauptstücken.

g) Jordanus l. l. p. LII sq.: quid significet capitulatim apparere e narratione de Q. Caedicio [1] (fr. 7. Orig. l. IV.) et capitulatim dicendi consilium cerni maxime in dictis factisque memorabilibus.

---

(1) Gell. III, 7, 1.

capitulatim significationem perraram esse, ne dicam hoc uno Nepotis loco exstare, cum plerumque idem sit atque Graecum illud κεφαλαιωδῶς, in quo semper inest notio breviter vel summatim. Conferantur de ea re Dionys. Hal. I, 6: οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς [1] ἐπέδραμεν. cf. ib. de compos. verb. c. 1. κεφάλαια δ' αὐτῆς ... ὡς τύπῳ περιλαβεῖν. c. 8. κεφαλαιωδῶς περιλαβεῖν atque opponitur πολὺς λόγος cf. Polyb. hist. I, 13, 1. II, 1, 4. VI, 5, 2. ἐπὶ βραχὺ καὶ κεφαλαιωδῶς. cf. Aristot. eth. Nicom. II, 7 (Bekker p. 31, 24.): τύπῳ καὶ ἐπὶ κεφαλαίῳ λέγωμεν, ἀρκούμενοι αὐτῷ τούτῳ, ὕστερον ἀκριβέστερον. cf. II, 9. Bekk. p. 36, 4 — ib. rhet. I, 5. II, 16. — τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς: ib. rhet. III, 14. B. p. 138, 4. ib. III, 19 B. p. 148, 4. — Postremo obiter tantum memorare velim Catonem in solis quattuor libris posterioribus, minime in tribus prioribus capitulatim narrasse ex ipsis Nepotis verbis cognosci. Idem volunt Bolhuisius l. l. p. 3. Petrus l. l. prol. p. CXXXXIII aliique — [2] ».

Ad librum quartum fragmenta pertinent XX, ad quintum vero XIII, quorum duo, ut orationem praeteream pro Rhodiensibus, liquido ostendunt Catonem de rebus a se gestis hic verba fecisse: « Cato in V originum: Quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est [3] »; « M. Cato in quinta origine ita scripsit: Postridie signis conlatis aequo fronte peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavimus [4] ».

« Reliqua[que] bella pari modo (i. e. capitulatim) persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae qui diripuit Lusitanos ». Quibus verbis, cum ex fragmentis nihil admodum perspici possit, non est cur repugnemus. Unum frustulum libri sexti ad orationem adversus Carneadem in senatu habitam Wagener pertinere coniecit [5]. In septimo autem libro (fr. 106. 107. 108. 109) de oratione agitur in Servium Galbam, quae, ut ait Cicero [6], dicta a Catone est paucis antequam obiit diebus an mensibus. Unde hoc etiam conficitur septem tantummodo libris Origines constare, et

(1) Peterus hist. R. r. prol. p. LXXIII dicit " breviter vel summatim " vertere se malle quam " capitulatim ".

(2) Vollertsen *op. cit.* p. 45-47.

(3) Priscian. X p. 510 H.

(4) Gell. XV, 9, 5.

(5) Cfr. part. II *De orationibus* p. 51.

(6) Cfr. part. II *De orationibus* p. 53.

septimum novissimo aetatis suae anno Catonem confecisse. Cetera fragmenta, si fr. 110 excipias, quod Hiberum fluvium ex Cantabris oriri dicit, et fr. 111, in quo de calceis mulleis aluta vinctis eorum qui magistratum curulem cepissent, de mulieribus earumque cultus iactatione pertractatur (112. 113. 113. 115). Quas quidem mulierum reprehensiones ex oratione quadam, in Originibus inclusa, petitas a grammaticis dixerim.

In hisce libris « Duces non nominavit Cato sed sine nominibus res notavit ». Cuius rei a Plinio etiam confirmatae[1] atque a fr. 83, in quo Q. Caedicii, tribuni plebis, sine nomine virtutem laudat Noster, et fr. 86. 87 ad Hannibalicum bellum pertinentibus, ubi dumtaxat de Carthaginiensium dictatore magistroque equitum verba facit, haec etiam, ut Peter[2] adfirmat, excogitari potest causa « velut propter invidiam aut malignitatem, ne inimicorum virtutes suis scriptis decorarentur, vel propter timorem, ne superbia et adrogantia quarundam gentium aleretur, vel quod parum civile duxerit Romanorum ducum nomina adferre, non acquiescere eorum ordine designato ».

At Nepos contendit: « In eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla[3] doctrina » Verba " in eisdem " ad omnes Origines spectare dicendum est, namque Italiae admiranda secundo tertioque libro descripta dicuntur. Quare nullius momenti sunt quae habet Bormann[4]: « *In iisdem libris* nihil aliud significare potest, nisi eos libros quibus nomina ducum detraxerat, i. e. librum quartum et qui sequuntur (in primo libro ducum nomina insunt. cfr. fr. 32). In his autem ea, quae in Italia fierent aut visu essent digna, narrata non erant, ut demonstrant ipsae reliquiae, nec perspicitur, quomodo iterum in Italiam delatus videri possit Cato. Suspecta igitur sunt verba *in Italia*; neque vero probabile id quod proposuit Klotz quum scriberet *in Gallia*. Mihi olim scribendum videbatur *in Lusitania*, sed non est, cur reliquarum gentium mores locorumque naturam omissam esse putemus ». Ceterum hoc etiam culpandus est Bormann quod cum " in eisdem " ad ultimos Originum

(1) *Op. cit.* VIII, 5, 11.
(2) *Op. cit.* CXXXXV.
(3) Ita post Nipperdey viri docti scripserunt, excepto Bormann *op. cit.* p. 45.
(4) *Op. cit.* p. 42-43.

libros spectare non dubitat, " in quibus " perperam ad universos referat.

" Admiranda " autem, quae dicuntur, nonnulla legimus in fragmentis, ut vitium agri Picentini fecunditatem (fr. 43) et alia id genus.

De " multa industria et diligentia " multi apud veteres dixerunt. Cicero[1]: « Denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit ». Livius[2]: « Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres quodcunque ageret ». Idem Cornelius Nepos[3]: « In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum ». Plinius[4]: « Omnium bonarum artium magister ». Dionysius[5]: « Πόρκιος Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών » et alibi[6]: « ἐπιμελὴς περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαϊολογουμένης ἱστορίας ». Solinus[7]: « Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta, praecipue M. Catone, ut iam inveniri non sit, quod non veterum auctorum praeceperit diligentia ». Gellius[8]: « M. Cato vir in cognoscendis rebus multi studii », et alii quos longum esset referre.

Ex Festo[9]: « Meritavere, saepe merue
[Po]enorum IIII suf-
[fetes evocaverunt statim om]nis cohortes, omnis
[etiam qui stipendia merit]averunt »,

Meyer[10] arbitratus est Catonem historiam Poenorum scripsisse « singulari libro compositam »; Odofredus Müller pro duobus, Suffetibus

(1) *De orat.* III, 33, 135.
(2) XXXIX, 40.
(3) 3, 1.
(4) *Op. cit.* XXV, 2.
(5) *Op. cit.* I, 11.
(6) I, 74.
(7) 2, 2.
(8) II, 28, 5.
(9) p. 154 M.
(10) Meyer-Dübner *Orator. romanor. frag.* p. 56.

quattuor a Catone commemorari dicit coloniae praepositos ; Iordan [1], numero transposito, ita legit : « [*Cato originum*] IIII : [*Po*]enorum suffetes », Krause [2] vero *Poenorum* libros ad Origines spectare putat. Ego autem etsi, ut ait Peter [3], hic locus Oedipum suum adhuc expectat, Krausianae sententiae accesserim, nam fieri quidem poterat ut grammaticus ad argumentum potius quam ad germanum libri titulum respiceret.

Originum libris addenda puto quae passim a Plutarcho memorantur :

« Τῶν δὲ προγόνων παντάπασιν ἀγνώστων γεγονέναι δοκούντων αὐτὸς ὁ Κάτων καὶ τὸν πατέρα Μάρκον ὡς ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ στρατιωτικὸν ἐπαινεῖ, καὶ Κάτωνα τὸν πρόπαππον ἀριστείων πολλάκις τυχεῖν καὶ πέντε πολεμιστὰς ἵππους ἐν μάχαις ἀποβαλόντα τὴν τιμὴν ἀπολαβεῖν ἐκ τοῦ δήμου δι' ἀνδραγαθίαν [4] ».

« Φησὶ γὰρ αὐτὸς ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν, περὶ ὃν Ἀννίβας χρόνον εὐτυχῶν ἐπέφλεγε τὴν Ἰταλίαν [5] ».

« Ἔσθῆτα μὲν γὰρ οὐδέποτε φησι φορέσαι πολυτελεστέραν ἑκατὸν δραχμῶν, πιεῖν δὲ καὶ στρατηγῶν καὶ ὑπατεύων τὸν αὐτὸν οἶνον τοῖς ἐργάταις, ὄψον δὲ παρασκευάζεσθαι πρὸς τὸ δεῖπνον ἐξ ἀγορᾶς ἀσσαρίων τριάκοντα, καὶ τοῦτο διὰ τὴν πόλιν, ὅπως ἰσχύοι τὸ σῶμα πρὸς τὰς στρατείας. ἐπίβλημα δὲ τῶν ποικίλων Βαβυλώνιον ἐκ κληρονομίας κτησάμενος εὐθὺς ἀποδόσθαι. τῶν δὲ ἐπαύλεων αὐτοῦ μηδεμίαν εἶναι κεκονιαμένην, οὐδένα δὲ πώποτε πρίασθαι δοῦλον ὑπὲρ τὰς χιλίας δραχμὰς καὶ πεντακοσίας, ὡς ἂν οὐ τρυφερῶν οὐδ' ὡραίων ἀλλ' ἐργατικῶν καὶ στερεῶν, οἷον ἱπποκόμων τε καὶ βοηλατῶν, δεόμενος. καὶ τούτους πρεσβυτέρους γενομένους ᾤετο δεῖν ἀποδίδοσθαι καὶ μὴ βόσκειν ἀχρήστους [6] ».

« Ὁ δὲ Κάτων .. καὶ τὸν ἵππον, ᾧ παρὰ τὰς στρατείας ὑπατεύων ἐχρῆτο, φησὶν ἐν Ἰβηρίᾳ καταλιπεῖν, ἵνα μὴ τῇ πόλει τὸ ναῦλον αὐτοῦ λογίσηται [7] ».

« Αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληφέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ ... εἰς δ' αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει

---

(1) *Op. cit.* proleg. LII.
(2) *Op. cit.* p. 97 et 113 n.
(3) *Op. cit.* p. CLXVII.
(4) *Op. cit.* I, 1.
(5) I, 5. 6.
(6) IV, 2. 3.
(7) V, 5.

πλὴν ὅσα πέπωκεν καὶ βέβρωκεν. καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φηρί, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαί μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας [1] ».

« Θαυμάσαι δέ φησι τοὺς Ἀθηναίους τὸ τάχος αὐτοῦ καὶ τὴν ὀξύτητα τῆς φράσεως· ἃ γὰρ αὐτὸς ἐξέφερε βραχέως, τὸν ἑρμηνέα μακρῶς καὶ διὰ πολλῶν ἀπαγγέλλειν· τὸ δὲ ὅλον οἴεσθαι τὰ ῥήματα τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἀπὸ χειλέων, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι [2] ».

« Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε, τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδής ... πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις ὄγκον περιτέθεικε καὶ φησι τοῖς ἰδοῦσιν αὐτὸν τότε διώκοντα καὶ παίοντα τοὺς πολεμίους παραστῆναι μηδὲν ὀφείλειν Κάτωνα τῷ δήμῳ τοσοῦτον, ὅσον Κάτωνι τὸν δῆμον, αὐτόν τε Μάκον τὸν ὕπατον θερμὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔτι θερμῷ περιπλακέντα πολὺν χρόνον ἀσπάζεσθαι καὶ βοᾶν ὑπὸ χαρᾶς, ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις [3] ».

« Οὐκ ἠξίου δὲ τὸν υἱόν, ὥς φησιν αὐτός, ὑπὸ δούλου κακῶς ἀκούειν ἢ τοῦ ὠτὸς ἀνατείνεσθαι μανθάνοντα βράδιον, οὐδέ γε μαθήματος τηλικούτου τῷ δούλῳ χάριν ὀφείλειν [4] ».

« Ἀπτόμενος δὲ συντονώτερον πορισμοῦ, τὴν μὲν γεωργίαν μᾶλλον ἡγεῖτο διαγωγὴν ἢ πρόσοδον, εἰς δ' ἀσφαλῆ πράγματα καὶ βέβαια κατατιθέμενος τὰς ἀφορμάς ἐκτᾶτο λίμνας, ὕδατα θερμά, τόπους γναφεῦσιν ἀνειμένους, ἐργατησίαν χώραν ἔχουσαν αὐτοφυεῖς νομὰς καὶ ὕλας. ἀφ' ὧν αὐτῷ χρήματα προσῄει πολλὰ μηδ' ὑπὸ τοῦ Διός, ὥς φησιν αὐτός, βλαβῆναι δυναμένων [5] ».

« (Κάτων) .. ὅς γε καὶ Σωκράτη φησὶ λάλον καὶ βίαιον γενόμενον ἐπιχειρεῖν, ᾧ τρόπῳ δυνατὸς ἦν τυραννεῖν τῆς πατρίδος καταλύοντα τὰ ἔθη καὶ πρὸς ἐναντίας τοῖς νόμοις δόξας ἕλκοντα καὶ μεθιστάντα τοὺς πολίτας. τὴν δ' Ἰσοκράτους διατριβὴν ἐπισκώπτων γηρᾷν φησι παρ' αὐτῷ τοὺς μαθητάς, ὡς ἐν ᾄδου παρὰ Μίνῳ χρησομένους ταῖς τέχναις καὶ δίκας ἐροῦντας [6] ».

« Καὶ μέμνηται μέν αὐτοῦ (τοῦ πρεσβυτέρου υἱοῦ) πολλάκις ἐν τοῖς βιβλίοις ὁ Κάτων ὡς ἀνδρὸς ἀγαθοῦ γεγονότος [7] ».

---

(1) X, 2. 3. Cfr. Apophth. 25: « Πλείονας δὲ πόλεις ἑλὼν ὥς φησι τῶν ἡμερῶν ἃς διέτριψεν ἐν τοῖς πολεμίοις οὐδὲν αὐτὸς πλέον λαβεῖν ὧν ἔπιε καὶ ἔφαγεν ἐκ τῆς πολεμίας ».

(2) X, 4.

(3) XIV, 2.

(4) XX, 3.

(5) XXI, 3.

(6) XXIII, 1.

(7) XXIV, 5.

« Φησὶ γὰρ δυσὶ κεχρῆσθαι μόνοις πορισμοῖς, γεωργίᾳ καὶ φειδοῖ [1] ».

M. A. Berger [2], de discrimine locuturus quod inter Graecam et Romanam historiam intercedit, hisce utitur verbis: « Chez les Grecs, peuple à l'imagination vive et poétique, l'histoire débute par des récits fabuleux qui reposent souvent sur un événement vrai dans le principe, mais que la tendance naturelle des esprits a modifié, altéré, aut point que le fait primitif a disparu, pour ainsi dire, sous les embellissements. L'histoire n'est pas racontée, elle est chantée par les poëtes, sous forme d'épopée. De leurs poëmes, de ce tableau de la vie humaine et de la vie divine mêlées et confondues, tout est sorti, l'éloquence, la rhétorique, la tragédie, la comédie, l'élégie même, et l'histoire. Aussi celle-ci dut-elle rester poétique, lorsqu'elle commença à se dégager de l'épopée, et le premier historien, Hérodote, a fait un véritable poëme.

Il en fut autrement a Rome. Lorsque le peuple romain, doué de plus de bon sens que de vivacité, de plus d'esprit politique que d'imagination, songe à perpétuer le souvenir des événements, il n'a point recours à la poésie, qui n'est pas dan sa nature, il se contente des renseignements brefs, mais exacts, consignés dans ses Annales et dans ses recueils de toute espéce. Ces notes sont sèches; elles ne parlent ni à l'esprit ni au cœur, mais elles sont précises, et elles se rapprochent bien plus, à ce titre, des conditions que les modernes cherchent dans le genre historique. De là, sans doute, serait sortie une histoire d'un caractère et d'un esprit particuliers, si l'influence de la littérature grecque n'était venue arrêter son essor, et la détourner de sa véritable voie, par la séduction de l'exemple. Les Romains exigérent alors de l'histoire moins d'exactitude et de précision, et ils lui demandérent surtout de plaire à l'esprit, et de les charmer par l'agrément du récit et par la beauté du style. Ils ne voulurent plus voir dans

(1) XXV, 1.
(2) *Histoire de l'éloquence latine*, I, p. 141-42.

l'histoire qu'une œuvre d'éloquence, *maxime oratorium opus*[1]. C'est l'opinion que Cicéron professe ouvertement dans le traité de l'*Orateur*. Il se fait même dire dans ce dialogue, par des amis complaisants, que Rome n'a pas encor d'histoire, et que, seul, il est capable de l'écrire dignement. Nul doute que si la république lui eût laissé le loisir de composer des œuvres historiques, il les eût traitées en orateur, et qu'il eût plus souvent, comme Tite-Live, raconté en son beau style les actions mémorables des Romains, que les faits vulgaires, mais vrais, des Grandes Annales. Toutefois la transformation de l'histoire, que Cicéron appelle de tous ses vœux, ne s'accomplit pas sans résistance, et nous en avons la preuve dans les paroles mêmes de Cicéron, où il se plaint que jusqu'à son temps on continue d'écrire l'histoire avec le style des Annales ».

Quamquam vero M. Porcius Cato ab annalibus pendet, omnia in rem suam derivaturus[2], attamen illorum ieiunitatem effugit, ut ipse videtur profiteri : « Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit[3] ». Nec intra fines Urbis se continuit, sed Italicarum civitatum origines gentiumque mores conquisivit et, cum ad sua tempora propius accessisset, bella quibus interfuit et res a se gestas, quibusdam etiam orationibus inclusis, fusius descripsit, dicendi genus saepenumero usurpans oratoria quadam et graphica virtute laudandum. Quare Tullius[4] adfirmare non dubitavit : « Iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine,

(1) Videsis quae dixi p. 39.

(2) « Septimus mihi liber Originum est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum illustrium, quascunque defendi, nunc cum maxime conficio orationes; ius augurium pontificium civile tracto » apud Cic. *De senect* XI, 38.

(3) Gellius II, 28, 6 de hac re Catonem reprehendit : « Sed de lunae solisque defectionibus, non minus in eius rei causa reperienda sese exercuerunt (Romani). Quippe M. Cato, vir in cognoscendis rebus multi studii, incerta tamen et incuriose super ea re opinatus est. Verba Catonis ex originum quarto haec sunt : Non lubet e. q. s. Usque adeo parvi fecit rationes veras solis et lunae deficientium vel scire vel dicere ».

(4) *Brut.* 17, 66.

officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, (quod idem Lysiae Demosthenes), sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio ». Istiusce eloquentiae, a Cicerone memoratae, documentum est elogium Q. Caediciitribuni militum, quod etsi alias protulimus, non est hic praetermittendum, cum et ad Origines pertineat et nonnulla, mea quidem sententia, Gellius[1] adtexat ex Originibus derivata:

« Pulcrum, dii boni, facinus Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato libris originum de Q. Caedicio, tribuno militum, scriptum reliquit.

Id profecto est ad hanc ferme sententiam: Imperator Poenus in terra Sicilia, bello Kartaginiensi primo, obviam Romano exercitu progreditur, colleis locosque idoneos prior occupat. Milites Romani, ut res nata est, in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia maturum. " Censeo ". inquit, " si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad ' verrucam ' illam ", sic enim Cato locum editum asperumque appellat, " ire iubeas, eamque uti occupent imperes horterisque; hostes profecto ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. Tunc interea, occupatis in ea caede hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia, nisi haec, salutis via nulla est ". Consul tribuno respondit, consilium quidem istud aeque providens sibi viderier; " sed istos ", inquit " milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat? " " Si alium " inquit tribunus, " neminem repperis, me licet ad hoc periculum utare; ego hanc tibi et reipublicae animam do ". Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et quadringenti ad moriendum proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demirantur, quorsum ire pergant, in expectando sunt. Sed ubi apparuit [ad] eandem verrucam occupandam iter intendere, mittit adversum illos imperator Karthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur, circumventi repugnant: fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo. Quadringanti omnes cum uno, perfossi gladiis aut missilibus operti, cadunt. Consul interim, dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit.

(1) III, 7.

Sed quod illi tribuno, duci militum quadringentorum, divinitus in eo proelio usus venit, non iam nostris, sed ipsius Catonis verbis subiecimus: Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. Nam ita evenit: cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen vulnus capiti nullum evenit, eumque inter mortuos, defetigatum vulneribus, atque quod sanguen eius defluxèrat, cognovere. Eum sustulere, isque convaluit, saepeque post illam, operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. Sed idem benefactum, quo in loco ponas, nimium interest. Leonides Laco, qui simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae decoravere monumentis, signis, statuis; elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere. At tribuno militum parva laus pro factis relicta, qui idem fecerat atque rem servaverat[1].

Hanc Q. Caedici tribuni virtutem M. Cato tali suo testimonio decoravit. Claudius autem Quadrigarius annalis tertio non Caedicio nomen fuisse ait, sed Laberio ».

Multam praeterea auctoritatem apud veteres adeptae sunt Catonis Origines, tum ob scriptoris gravitatem tum ob res adservatas quae aliter iniuria temporis intercidissent; cuiusmodi sunt notitiae ad Origines quarundam civitatum populorumque mores pertinentes; ut ea quae de Liguribus memorantur: « Cato originum, cum de Liguribus loqueretur: Sed ipsi unde oriundi sunt, exacta memoria, inliterati mendacesque sunt et vera minus meminere[2] »; et de Gallis: « M. Cato originum II: Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui[3] ». Ex priore testimonio manifesto conficitur non tantum antiquitatis monumenta collegisse, sed populos etiam adiisse eorum origines atque instituta sciscitaturus. Postremo quod artis quoque criticae et comparativae initia reperiebantur in Originibus, ut liquet ex Tullii[4] loco adfirmantis: « Cato Senex dicere solebat, ab hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod

(1) Ex hoc Catonis fragmento, ut iam animadverti, illud perspicitur verissimum dictum a Nepote (3, 4): « Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit ». Cfr. et Plin. *op. cit.* VIII, 5, 11.

(2) Serv. *Aen.* XI, 715.

(3) Charis. II p. 202 K.

(4) Cic. *De republ.* II, 1.

in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis: ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus; Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii: postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius: nostra autem respublica non unius esset ingenio sed multorum; nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam neque ullum ingenium tantum extitisse dicebat, ut quem res nulla fugeret quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate. Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi originem: libenter enim etiam verbo utor Catonis ».

Haec Ciceronis verba consideranti, quae ex Originibus fluxisse pro certo adfirmaverim, facile apparebit Catonem, Romanorum re publica cum Graecis civitatibus comparata, civilem illorum prudentiam deformasse, qui parvis profecti initiis ad summam potentiam excreverant.

Laudandus praeterea est Cato quod et aetatis suae gesta descripsit; nam cum eorum pars magna fuerit, auctoritas et fides narrationi accedit.

Praeter annales pontificum et alia id genus monumenta, Q. Fabium Pictorem adiisse ex Dionysii[1] verbis perspicitur: « Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Δεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πίσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, γέγραφεν κ. τ. λ. ».

Verum Cato, cum magnam sibi nominis existimationem peperisset ob auctoritatem rigida innocentia partam, compluribus exemplar exstitit.

Ut vetustiores praeteream rerum gestarum scriptores Catonem subsecutos, inter eius imitatores C. Crispus Sallustius enumeratur; qui etsi Nostri verba, locutiones, sententias et alia istiusmodi quae ad scribendi genus pertinent, quod spectat ad res gestas, ad Originum imitationem se non composuit[2].

Etiam Ciceroni, qui Origines legi desitas lamentabatur, Cato semper in ore erat, et Varroni in antiquitate exquirenda ad

(1) *Op. cit.* I, 79.
(2) Cfr. G. Brünnert *op. cit.* p. 19-21.

Nostrum saepe fuit confugiendum. His accedit Cornelius Nepos, qui de Catonis vita et moribus Titi Pomponii Attici rogatu librum, nunc deperditum, conscripsit, eiusque vitam breviter narratam inter excellentium imperatorum vitas inseruit. In ea, ut supra vidimus, ita de Originibus mentionem iniecit, ut illas diligenter pervolutasse videatur. Postremo Catonis Originibus usi sunt ceteri scriptores (Livio excepto, quem, secus ac Peter[1], orationes potius quam Origines inspexisse adfirmaverim), et grammatici, ut Dionysius, Macrobius, Gellius, Priscianus, Servius aliique complures qui Originum fragmenta adservarunt.

« Le livre des *Origines* de Caton termine la série des historiens primitifs de Rome. Le caractère commun de ces écrivains est qu'ils cherchent à expliquer, d'une manière vraisemblable et naturelle, les fables relatives aux commencements de leur patrie, et qu'ils s'appuient sur le témoignage des *Grandes Annales*, dont ils développent les données succinctes dans lor récits. Lorsqu'ils arrivent aux événements contemporains, ils racontent avec gravité et simplicité ce qu'ils ont vu et ce qu'ils ont fait. Ils manquent d'art, il est vrai, et se contentent d'exposer ce qui est; mais leurs ouvrages n'en sont que plus curieux, parce qu'ils nous font connaître la vérité telle qu'elle a existé, sans avoir la prétention d'y ajouter et de l'embellir. Malheureusement, leur style sec, nu, dépourvu d'éloquence, ne pouvait assurer l'immortalité à leurs écrits. Seules les *Origines* de Caton ont survécu, grâce à un mérite littéraire dont le récit du dévouement du tribun Cedicius nous a donné la preuve éclatante. L'imitation de ce livre aurait pu donner à Rome de véritables historiens presque sans le secours de la Grèce. Mais les contemporains de Caton, placés entre la rudesse du style antique et l'éloquence des modèles grecs, qui avaient, en outre, pour eux le charme de la nouveauté, s'attachèrent de préférence à ces derniers, et la véritable histoire romaine périt, pour faire place à l'imitation des ouvrages de la Grèce[2] ».

---

(1) Berger: *op. cit.* I, p. 224-225.
(2) *Op. cit.* p. CLIII-CLVI.

CAPVT IV.

DE PRAECEPTIS

BIBLIOGRAPHIA

Otto Iahn, *Ueber römische Encyclopädien: Berichte d. König. sächs. Gesellschaft. d. Wissensch. Phil-histor.* 1850 p. 263-273 2 Bd; E. Kärcher: *Der alte Cato dennoch ein Dichter* (Philol. VIII - 1854) p. 727-731; Fridericus Ritschelius, *Poesis saturniae spicilegium I* Bonnae 1854; Alfredus Fleckeisenus, *Catonianae poesis reliquiae* Lipsiae 1854; Henricus Iordan, *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant* Lipsiae 1860 proleg. p. XCIX-CXI. fragm. p. 77-84.

Nunc restat ut in hac operis mei parte nonnulla disputem de orbe illo doctrinae quem Noster in unum volumen congessit Marco filio suo nuncupatum[1].

Quando quae fuerit inscriptio ambigitur, nam « Libri ad filium », « Ad filium vel de oratore », « Epistula ad filium » et alio etiam modo appellantur, haec communi « Praeceptorum » titulo donavi[2].

Nec facit contra quod habet Marius Victorinus[3]: « Propositio facti cum persona eius qui arguitur vel quolibet alio modo invidiam comparans aut extenuans summa dicetur. et haec est quam Cato *in libro suo* appellat vires causae »; verbis enim « in libro suo » aut « in quodam libro » intellegi voluit, aut « in libro suo [qui de rhetorica inscribitur] ». Ad hoc plures fuisse praeceptorum libros Servius[4] aperte testatur: « (Raeticam) uvam Cato praecipue laudat *in libris* quos scripsit ad filium »; et paullo post[5]: « Laudato ingentia rura exiguum colito]. Hoc etiam Cato ait *in libris* ad filium de agri cultura ». His autem varia adnumerantur praecepta « De medicina », « De agri cultura » « De rhetorica », « Carmen de moribus », « Apophthegmata ».

[DE MEDICINA?]

Inter quinque fragmenta quae ad librum « De medicina » existimantur pertinere, illud notatione dignum recensetur, quod,

(1) O. Iahn *op. cit.*

(2) « Mediastinos non balnearum sed ministros et curatores aedium legimus. Lucilius ... Cato in Praeceptis ad filium e. q. s. » Non. p. 150 ed. Quich.

(3) Ad *Rhet.* Cic. II p. 178 ed. Or.

(4) *Georg.* II, 95.

(5) *Ibid.* 412.

etsi alias[1], cum de Catonis odio in Graecos loqueremur, protulimus, huc tamen est referendum Graeca Plutarchi interpretatione illustratum. Imo, ni falsa conicio, petita a Catone sunt quae Plutarchus adtexuit.

Catonianus igitur locus a Plinio[2] servatus hic est: « Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere. vincam nequissimum et indocile esse genus illorum. et hoc puta vatem dixisse, quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia conrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede facient, ut fides iis sit et facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos quam alios Opicon appellatione foedant. interdixi tibi de medicis ». Plutarchus[3] autem sic Catonianam sententiam rescribit, ut multa ex Catonis libro « De medicina » petiisse videatur: Τὸν δὲ παῖδα διαβάλλων πρὸς τὰ Ἑλληνικὰ φωνῇ κέχρηται θρασυτέρᾳ τοῦ γήρως, οἷον ἀποθεσπίζων καὶ προμαντεύων, ὡς ἀπολοῦσι Ῥωμαῖοι τὰ πράγματα γραμμάτων Ἑλληνικῶν ἀναπλησθέντες. Ἀλλὰ ταύτην μὲν αὐτοῦ τὴν δυσφημίαν ὁ χρόνος ἀποδείκνυσι κενήν, ἐν ᾧ τοῖς τε πράγμασιν ἡ πόλις ἤρθη μεγίστη καὶ πρὸς Ἑλληνικὰ μαθήματα καὶ παιδείαν ἅπασαν ἔσχεν οἰκείως. Ὁ δ' οὐ μόνον ἀπηχθάνετο τοῖς φιλοσοφοῦσιν Ἑλλήνων, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰατρεύοντας ἐν Ῥώμῃ δι' ὑποψίας εἶχε. Καὶ τὸν Ἱπποκράτους, ὡς ἔοικεν, ἀκηκοὼς λόγον, ὃν εἶπε τοῦ μεγάλου βασιλέως καλοῦντος αὐτὸν ἐπὶ πολλοῖς τισι ταλάντοις, οὐκ ἄν ποτε βαρβάροις Ἑλλήνων πολεμίοις ἑαυτὸν παρασχεῖν, ἔλεγε κοινὸν ὅρκον εἶναι τοῦτον ἰατρῶν ἁπάντων, καὶ παρεκελεύετο φυλάττεσθαι τῷ παιδὶ πάντας· αὐτῷ δὲ γεγραμμένον ὑπόμνημα εἶναι, καὶ πρὸς τοῦτο θεραπεύειν καὶ διαιτᾶν τοὺς νοσοῦντας οἴκοι, νῆστιν μὲν οὐδέποτε διατηρῶν οὐδένα, τρέφων δὲ λαχάνοις ἢ σαρκιδίοις νήσσης ἢ φάσσης ἢ λαγώ· καὶ γὰρ τοῦτον κοῦφον εἶναι καὶ πρόσφορον ἀσθενοῦσι, πλὴν ὅτι πολλὰ συμβαίνει τοῖς φαγοῦσιν ἐνυπνιάζεσθαι· τοιαύτῃ δὲ θεραπείᾳ

(1) Cfr. p. 25.

(2) *Op. cit.* XXIX, 7, 14 sq. « Cassius Hemina ... auctor est, primum e medicis venisse Romam Archagathum .. mox. transisse .. in taedium artem omnesque medicos, quod clarissime intellegi potest ex M. Catone, cuius auctoritati triumphus atque censura minimum conferunt, tanto plus in ipso est. Quamobrem verba eius ipsa ponemus e. q. s. » Idem 27: « Ita est profecto, lues morum nec aliunde maior quam ex medicina, vatem prorsus cotidie facit Catonem et oraculum, satis esse ingenia Graecorum inspicere non perdiscere ».

(3) Κάτ. β. XXIII, 2-3.

καὶ διαιτῇ χρώμενος ὑγιαίνειν μὲν αὐτός, ὑγιαίνοντας δὲ τοὺς ἑαυτοῦ διαφυλάττειν ».

Cum hisce ultimis Plinii[1] testimonium videtur concinere: « Subicit (Cato) qua medicina se et coniugem usque ad longam senectam perduxerit, profiteturque esse etiam commentarium sibi quo medeatur filio servis familiaribus. quem nos per genera usus sui digerimus ».

Ad hunc librum duo videntur pertinere fragmenta (*b* et *c* p. 134) quae ex carmine de moribus decerpta fuisse quidam putaverunt.

[DE AGRI CVLTVRA?]

Sequuntur « De agri cultura » praecepta, quibus eo fortasse spectabat Noster ut filius, ex maiorum consuetudine, rei rusticae intenderet, ut patet ex fragmento: « Vir bonus, Marce fili, colendi peritus cuius ferramenta splendent ».

Cui sententiae, priscae Romanorum vitae congruenti, apprime suffragantur quae Cato ipse in prooemio libri sui « De re rustica » scripsit: « Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet, et item fenerari, si tam honestum siet. maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. quanto peiorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare. et virum bonum quom laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur. mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum. at ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt ».

Henricus Iordan[2], cuius recensionem hic sequor, octo ad agri culturam pertinentia prodit fragmenta. Verum quae Seneca[3] ait: « Praeterea ipsa quae praecipiuntur per se multum habent ponderis, utique si aut carmini intexta sunt aut prosa oratione in sententiam coartata, sicut illa Catoniana: Emas non quod opus est, sed quod necesse est; quod non opus est asse carum est »:

(1) *Op. cit.* XXIX, 8, 15.
(2) *Op. cit.* p. 78-79.
(3) *Epist.* XCIV, 27.

(cf. Plutarch.[1]: « Ὅλως δὲ μηδὲν εὔωνον εἶναι τῶν περιττῶν, ἀλλ' οὐ τις οὐ δεῖται, κἂν ἀσσαρίου πιπράσκηται, πολλοῦ νομίζειν) » et alibi[2]: « Marcus Cato ait: Quod tibi deerit a te ipso mutuare »; necnon Plutarchus[3]: « (Ἔφετο δεῖν) κτᾶσθαι τὰ σπειρόμενα καὶ νεμόμενα μᾶλλον ἢ τὰ ῥαινόμενα καὶ σαιρόμενα » et etiam[4]: « Προτρέπων δὲ τὸν υἱὸν ἐπὶ ταῦτά φησι οὐκ ἀνδρὸς ἀλλὰ χώρας γυναικὸς εἶναι τὴ μειώσαι τι τῶν ὑπαρχόντων », aut ex alio Catonis libro, aut memoriter tradita existimarim, aut cum fragmento: « Illi inperator tu, ille ceteris mediastinus » ad carmen de moribus, ut propediem dicemus, audaci coniectura referuntur.

[DE RHETORICA?]

Accedunt tria « De rhetorica » fragmenta, quorum duo: « Orator est, Marce fili, vir bonus, dicendi peritus » et « Rem tene, verba sequentur », veteres uno ore celebraverunt, ut Seneca[5] aliique; imo, Quintilianus illorum prius illustrandum suscepit in primo duodecimi libri institutionum oratoriarum capite quod inscribitur « Non posse oratorem esse nisi virum bonum ». Haec etiam fragmenta in carmine de moribus recensentur.

DE RE MILITARI.

Si Henrico Iordan[6] adstipulamur, ad hunc de re militari librum quindecim spectant fragmenta, in quibus primum obtinent haec locum: « Scio ego quae scripta sunt si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent, sed ii potissimum qui verae laudis expertes sunt. eorum ego orationes sivi praeterfluere[7] ». Unde nonnulli colligendum esse censuerunt hunc Catonis librum editum non fuisse. Sed perperam fortasse; verba enim « si palam proferantur » pro « si omnibus innotuerint » accipienda existimo. Et cum Iordan[8] hoc

(1) *Op. cit.* IV, 3.

(2) *De benef.* V, 7, 6 et *Epist.* CIX: « Paratum tibi creditorem dabo Catonianum illud: a te mutuum sumes ».

(3) *Op. cit.* IV, 3.

(4) *Op. cit.* XXI 6.

(5) *Contr.* praef. 9.

(6) *Op. cit.* proleg.p. CII.

(7) Plin. *op. cit.* praef. 30.

(8) l. c.

mihi videor intellegere, et prooemio et iis, quae proxima subsequuntur (cfr. fr. 2: « Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat[1] »), demonstrari Catonem de paranda victoria praecepta scripsisse, cum imperatores videret qui « verae laudis expertes » aut militiae parum valere, aut pravis artibus militarem disciplinam labefactare.

Cetera huiusce libri praecepta de « proeliorum delictis », de « utilitate boni sagittarii » et de aliis huiusce generis pertractant ad disciplinam remque bellicam pertinentibus.

CARMEN DE MORIBVS.

Ad carmen de moribus si Gellio[2] et Nonio[3] fidem adiungimus, tria nunc pertinent fragmenta, quae haud abs re fuerit proferre:

a) « Avaritiam omnia vitia habere putabant. sumptuosus cupidus elegans † vitiosus inritus qui habebatur, is laudabatur ».

b) « Vestiri in foro honeste mos erat, domi quod satis erat. equos carius quam coquos emebant. poeticae artis honos non erat. siquis in ea re studebat aut sese ad convivia adplicabat, grassator vocabatur ».

c) Nam vita humana prope uti ferrum est. si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit. item homines exercendo vidimus conteri; si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit quam exercitio ».

Quanquam non ignoro vocabulum « carmen » etiam *formulam* quandam significare prosa oratione conscriptam, ut Liviana illa « lex horrendi carminis »[4], attamen illorum sententiae propius accedo qui « Carmen de moribus » numeris adstrictum contendunt.

Primus hanc viam ingressus est E. Kaercher[5]; deinde Boeckh[6] de versibus quadratis, et A. Fleckeisen[7] de Sotadico metro

(1) Fest. p. 306 M.
(2) XI, 2.
(3) p. 538 ed. Quich.
(4) I, 24, 26.
(5) *Op. cit.*
(6) Cfr. *Act. acad. Berol.* 1854 p. 264 sq.
(7) *Op. cit.*

hic agi cogitaverunt. Saturnios autem numeros Catonianos carmini aptavit Fr. Ritschl [1], cuius restitutionem, fere omnibus probatam hic recipio, quanquam plura in carmen referri mihi videantur, quam ex grammaticorum testimonio constat; qui, ut vidimus, de tribus tantum fragmentis ex carmine petitis mentionem iniciunt.

a) Ex M. igitur Aurelii Caesaris [2] verbis: « Caelum modestius ... vespera et concubia nocte, dum se intempesta nox, ut ait M. Porcius, praecipitat, eodem modo perseverat », Ritschl hunc versum restituit:

υ ⏑́ υ ⏑́ dum se íntem — pésta nóx praecípitat,

vel, si forte *de caelo* poeta adiecerat, ut Fleckeisen coniecit, hoc modo:

[De caélo] dúm se íntem — pésta nóx praecípitat.

b) Si Plinius [3] Catonis verba servavit, cum ait: « Cum innumerabilia sint mortis signa, salutis securitatisque nulla sunt, quippe cum censorius Cato ad filium de validis quoque observationem ut ex oraculo aliquo prodiderit senilem iuventam praematurae mortis esse signum » integer, eruitur hic versus:

Senílí' iuvénta praéma — túrae mórtis sígnumst.

c) Nec minus integer ille est apud Diomedem [4]: « Adnotabimus tamen veteres etiam sic declinasse, edo edis edit: Cato ad filium vel de oratore: Lepus multum somni adfert qui illum edit »:

Lepús múltum sómni eí—ádfert quí edit íllum.

d) Praeceptum illud paene divinum, ut ait Iulius Victor [5], sic refingitur:

υ ⏑́ υ ⏑́ υ rém te—né, vérba sequéntur.

e) Agricolae definitionem: « Vir bonus, Marce fili, colendi peritus, cuius ferramenta splendent [6] » ita scribit Ritschl:

Vir bónus est, Márce fíli, a—rándí perítus
Cuius férraménta spléndent ⏑́ υ ⏑́ υ ⏑́ υ

(1) *Op. cit.*
(2) *Epist.* II, 1.
(3) *Op. cit.* VII, 51, 171.
(4) I. p. 362 K.
(5) *Art. rhet.* p. 197 Or.
(6) Apud. Serv. *Georg.* I, 46.

f) Praeceptum « Orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus » omissa voce « orator », quae in fine superioris versus esse poterat, hic saturnius conficitur:

Vir bónus est, Márce fíli, — dícendí perítus.

Sive illam eodem versu comprehendas:

Orátor, Márce fíli — vír bonúst dicéndi
Perítus.

g) Ex Nonio[1]: « Cato in praeceptis ad filium: Illi inperator tu, ille ceteris mediastinus »:

Ille ínperátor, tú illi — cérte eris médiastínus.

h) Duo Saturnii fiunt ex verbis apud Senecam[2]: « . . Sicut illa Catoniana: Emas non quod opus est, sed quod necesse est, quod non opus est asse carum est »:

Emás nón quod ópus est, — séd quód necésse est:
Quod nón ópus est, ásse — cárum est ⏑́ — ⏑ ⏑́ — ⏑.

i) Tertium fragmentum, quod supra dixi ad carmen de moribus procul dubio pertinere, hoc modo permutatur:

⏑ ⏑́ — ⏑ ⏑́ — nam víta hu—mána própe uti férrumst.
Ferrúm sí exérce—ás, contéritur úsu:
Si nón exérceás, ta—mén robígo intérimit.
Item hómines éxercéndo—cónterí vidémus:
Si níl exércéas, in—értia ác torpédo
Plus détriméntí fa—cít quam éxercítio.

Si cui servandum videbitur « interficit » ita legi potest versus:

Si nón exérceás, tam in—terficít robígo.

Prior autem Saturnius ita compleri potest, ut ait Ritschl:

Nam víta humána, Márce—fíli, própe uti férrumst.

j) Quod attinet ad prius fragmentum, iam supra relatum: « Avaritiam omnia vitia habere putabant. sumptuosus cupidus elegans vitiosus inritus qui habebatur, is laudabatur »

(1) p. 150 ed. Quich.
(2) *Epist.* XCIV, 27.

haec habet Ritschl: « Tanquam in oculos incurrere Saturnios cum ab initio tum in fine dicas, refragantur media, sed non minus sententiae quam metro refragantur. Vitiosum esse *vitiosus* vocabulum nec Boeckhium nec Fleckeisenium fugit: quorum hic *luxoriosus* substituit, ille non hoc tantum, sed etiam *cupidus* adiectivum prorsus delevit ut e glossematis nota. Cui ego eatenus assentior ut *vitiosus* ad *elegans* vocem adscriptum ab eo putem qui hanc vocem apud ipsum Gellium legisset, ad aetatem M. Catonis *vitii* non laudis fuisse. Sed *cupidus* verum vidisse Gronovium patrem arbitror, ortum illud e *cuppes* esse vel pro hoc substitutum. Tenendum est enim praeter cetera, non in eo esse Catonem ut quaelibet vitia percenseat, sed ut opposita avaritiae » Quare sic fortasse scriptum exstabat in quodam codice:

cupidus vitiosus
Cuppes sumptuosus elegans deliciis
Intentus.

Quae ultima vox *intētus* pro *inritus* a Ritschl ponitur. Haec igitur reconcinnat:

Avāritiam ōmnia vĭtia ha—bēre dēputabant:
Cuppēs, sumptuōsus, — ēlegāns delĭcĭīs
Intēntus quĭ habebātur, — īs laŭdabātur

Quae restitutio, si minus prospere quam in ceteris, successit, ex eo etiam hoc est repetendum quod « sparsim et intercise commeminisse » dicat Gellius Catoniani carminis verba [1].

k) Quod secundo loco posui fragmentum: « Vestiri in foro e. q. s. » ita sese habet apud Ritschl:

Vestíri ín foró tum—mós erát honéste
Domí, quod sátis erát. υ ⏑ ⏑ ⏑ υ ⏑ υ
Equós cariús tum—quam coquós emébant.
Poéticaé ártis— nón erát honós tum.
Si qui ín ea ré studebat—aút sese ádplicábat
Ad cónvívia grássa—tór vocábátur.

(1) Madvig (*Adversaria critica ad scriptores Graecos et Latinos*. Hauniae 1873 vol. II p. 601) haec habet in rem: « Non sane laudabatur qui ab ipsis laudantibus vitiosus habebatur, nec inter cetera certorum morum nomina certe generale vitii nomen ponitur; *inritus* prorsus nihil est. Quaedam quae ab aliis fere vitiosa habebantur, laudabantur, quod contraria saltem avaritiae erant: elegans *vinosus, incitus* qui habebatur e. q. s. ».

APOPHTHEGMATA.

Multa multorum facete dicta, quae vocant apophthegmata, collecta dicit a Catone Tullius[1], quae, si Plutarcho[2] fides est adhibenda, Graecarum litterarum studium in Catone arguunt.

Duo tantum fragmenta numerantur, quorum prius Quintilianum[3] servatum, illud aperte declarat, quod alias[4] animadverti cum de iocis in orationibus usurpatis mentionem inicerem: « (Domitius Marsus) . . narrandi urbanitatem . . ita finit Catonis, ut ait, opinionem secutus: urbanus homo erit, cuius multa bene dictá responsaque erunt et qui in sermonibus circulis conviviis, item in contionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. risus erunt, quicunque haec faciet orator ».

EPISTVLAE.

Sunt qui Catonem epistulas scripsisse putent, duce praesertim Festo, qui ait: « Cato in epistularum » (fr. 1); « Cato in epistula » (fr. 2); sed perperam fortasse: nam quae feruntur epistularum fragmenta, pro praeceptis ad filium accipienda puto, haud aliter atque illud Prisciani: « Cato in epistula ad filium: « Ex dolore, ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis, ex cataplasmatis, ex alvo lavando », quod etiam Iordan[5] in libro « De medicina » recenset.

Excipienda vero est epistula ad Marcum filium, de qua scribit Cicero[6]: « M. quidem Catonis senis epistula ad Marcum filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. monet igitur, ut caveat, ne proelium ineat. negat enim ius esse qui miles non sit cum hoste pugnare ». Huius epistulae mentionem quoque fecit Plutarchus[7]: « Διὰ τί τοῖς μὴ στρατευομένοις μέν, ἐν στρατοπέδῳ δ' ἄλλως ἀναστρεφομένοις, οὐκ ἐξῆν ἄνδρα βαλεῖν πολέμιον οὐδὲ τρῶσαι; καὶ

(1) *De off.* I, 29, 104.
(2) *Op. cit.* II.
(3) VI, 3, 105.
(4) p. 61.
(5) *Op. cit.* p. 78.
(6) *De off.* I, 11, 10.
(7) *Quaest. Rom.* 39.

τοῦτο Κάτων ὁ πρεσβύτης ἐν ἐπιστολῇ τινι δεδήλωκε γράφων πρὸς τὸν υἱὸν καὶ κελεύων, εἰ παρειθείη τῆς στρατείας ἀποπληρώσας τὸν χρόνον ὑποστρέφειν ἢ προσμένοντα λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τοῦ ἐξεῖναι τρῶσαι καὶ ἀνελεῖν πολέμιον ».

Ad hanc epistulam fortasse pertinet Catonis frustulum ad Magnum (scribesis: ad M. [filium]), quod legitur in Diomede[1]: « Interempto praestari ».

COMMENTARII IVRIS CIVILIS.

Ex Cicerone[2] qui ait: « Quid enim M. Catoni praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam defuit? num quia ius non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam neglegebat? utroque in genere et elaboravit et praestitit » commentarios iuris civilis exarasse Catonem nonnulli putant. Quae quidem sententia, si reputaveris plurimos filii eius de iure libros exstitisse, in dubium revocanda erit; quos enim M. Cato filius confecerat iuris libros, fieri etiam potuit ut patris nomine ferrerentur.

Recenset praeterea H. Iordan[3] aliquot incertorum librorum reliquias.

Catonis igitur vita et operibus pro meis viribus illustratis, Livianum illud iudicium a quo orsum sum, velut cumulum, libenter adscribam:

« In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit: urbanas rusticasque res pariter callebat. ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres quodcumque ageret: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, idem postquam ad magnos honores pervenit, summus

(1) I p. 366 K.
(2) *De orat.* III, 33, 135.
(3) *Op. cit.* pag. 85-90.

imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis. orationes et pro se multae et pro aliis et in alios: nam non solum accusando sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae, contemptor gratiae, divitiarum. in parsimonia, in patientia laboris periculi ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium[1] ».

(1) XXXIX, 40.

PARS III.

GRAMMATICA

BIBLIOGRAPHIA

Henricus Iordan, *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant*, Lipsiae 1860; Hermannus Peter, *Historicorum romanorum relliquiae*, Lipsiae 1870 vol. I.; Henricus Keil, *M. Porci Catonis de agri cultura liber*, Lipsiae 1882 vol. I. fasc. I.— Ludovicus Dietze, *De sermone Catoniano*, Tanglimi 1871; Richard Ionas, *Zum Gebrauch der verba frequentativa und intensiva in der alteren lateinischen Prosa* (*Cato, Varro, Sallustius*) Posen 1879; Friedrich Neue, *Formenlehre der lateinischen Sprache*, Berlin 1877 vol. II; Hugo Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgärlateins*, Leipzig 1866-68 vol. III; W. Corssen, *Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache*, Leipzig 1868-70 vol. II: *Kritische Beiträge zur lateinischen Formenlehre*, Leipzig 1863: *Kritische Nachträge zur latein. Formenl.*, Leipzig 1866; Hermannus Buchholtz, *Priscae latinitatis originum libri tres*, Berolini 1877 vol. III.: Franz Bücheler, *Grundriss der lateinischen Declination*, Bonn 1879. — Fr. Guilelmus Holtze, *Syntaxis priscorum scriptorum latinorum*, Lipsiae 1861 vol. II; A. Draeger, *Historische Syntax der lateinischen Sprache*, Leipzig 1878 vol. II.

M. Porcii Catonis grammaticam expositurus, paucis animadvertendum existimo prae ceteris eius scriptis, librum de re rustica permultas formas tueri ad rationem rustici sermonis exactas; cuiusmodi sunt: r. r.[1] II, 7. V, 6. LXII. X, 2. CXXXV, 1 *Plostrum* (cfr. Iord.[2] 11, 4. 28, 9 *Plaustrum*); XXV, 2 *Coles*; XV, 3. CXXXV, 2 *Clostra*; LXVI *Deorito*; X. XXXIX, 1 *Stercilinum*; LXIX, 1. CXXV, 1, CLVII, 12 *Arfacio*; VI, 1. 2. LXXV. LXXVI, 4. LXXIX. LXXX (*bis*). XCV, 2. CLVII, 10 *Caldus* et alia quae legenti confestim occurrunt.

Cuius quidem rei causa ex eo profluxisse putaverim, quod alium atque in ceteris operibus finem sibi proposuerat Noster in praeceptis de re rustica conscribendis. Hic enim Romanae historiae amplitudinem non exquisivit; nec amici clientesve defendendi erant, et mascula eloquentia vitia civium et luxuria incessenda; verum, quae ex rustici operis consuetudine potissima cognoverat praecepta in usum agricolarum congessit.

Praeterea non ultima Catonis laudum haec erit, quod, ut ait Horatius[3]:

> Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
> Nomina protulerit.

et voces locutionesque adservarit, quae frustra alibi requiras si eius libri iniuria temporis intercidissent.

Hisce igitur praemissis venio ad grammaticam, in qua etsi Catoniana tantum recensenda mihi videbantur, nonnulla tamen recepi a ceteris Latinis scriptoribus rarius usurpata.

---

(1) r. r. = De re rustica, ed. Keil.
(2) Iord. = Iordan, *op. cit.*
(3) *A. p.* v. 56.

I.

MORPHOLOGIA

DECLINATIO

SVBSTANTIVA (ἅπ. εἰρ.)

a) ARDEATIS — nom. s. Iord. 14, 1 = *Ardeat(i)s, Ardea(t)s, Ardeâs*; cfr. Priscian. IV, 21. 22. 29. 60. 61. VII, 8, H; Corssen *Ausspr.* II², 598; Buecheler *op. cit.* p. 4.

ARPINATIS — nom. s. Iord. 14, 1.

CAPENATIS — nom. s. Iord. 9, 4.

SAMNITIS — nom. s. Iord. 87, 1.

NOVEMBRIS — nom. s. Iord. 48, 5.

HIEMIS — nom. s. r. r. XXX.

SVPELLECTILIS — nom. s. Iord, 60, 1: « *Supellex supellectilis;* vetustissimi tamen etiam *supellectilis* nominativum proferebant » Priscian. IV, 279 H. - *Supellectil(i)s, supellecti(l)s, supellect(i)s, supellec(t)s, supellex.*

VOMERIS — nom. s. r. r. CXXXV, 2.

b) DIEE — acc. s. Iord. 90, 15: « Illa censorii Catonis *diee hanc* aeque *m* littera in *e* mollita » Quint. IX, 4. 38. Sic antiquitus *seese* pro sēse. Quod autem pertinet ad *m* finalem cfr. *attinge, dice* e. q. s. cum quibus formam *diee* coniungendam esse dixit Havet (*Précis de la decl. lat. par Buecheler* Paris 1875 p. 86) *diee* pro *dice* falso scriptum existimans.

LACTE — acc. s. Iord. 85, 11; cfr. Charis I, 102 K.

c) BOVERUM — genet. pl. r. r. LXII; cfr. Varr. *LL.* VIII, 74, 446.

CVLLEVM — gen. pl. r. r. XI, 1.

d) HOLERIS — dat. pl. r. r. CXLIX, 2 ; cfr. Buecheler, *op. cit.* 137. Verum in r. r. CLVI, 1 : *holeribus.*

DEFECTIVA CASIBVS (ἅπ. εἰρ.)

a) GELVS — nom. s. r. r. XL, 4.
b) GELVM — acc. s. Iord. 14, 5.
c) AERVM — gen. pl. Iord. 66, 8.
FACIERVM — gen. pl. Iord. 69, 6 - cfr. Priscian VII, 368, H.
IVRVM — gen. pl. Iord. 30, 1.
PECVVM — gen. pl. Iord. 24, 11 - cfr. Paul. Festi, 247 M.
d) AERIBVS — abl. pl. Iord. 66, 9.

ABVNDANTIA (ἅπ. εἰρ.)

a) ASSERCVLVM — n. s. n. r. r. XII.
b) SPECA — n. s. f. Iord. 85, 13 : « Dicebant tamen et *hoc specum* et *haec speca* » Priscian. VI, 260, II ; Neue, *op. cit.*, I, 709-10.

ADIECTIVA

CELERIS — nom. s. Iord. 82, 3. 4 - cfr. Piscian. VIII, 334, H ; Buecheler, *op. cit.*, 12.

GRADVS COMPARATIONIS

a) ARDVIVS — Iord. 85, 6 - cfr. Priscian. III, 86-91 H. (ἅπ. εἰρ.)
INNOXIIOR — Iord. 42, 10. (ἅπ. εἰρ.)
MVNIFICIOR — Iord. 72, 16 - cfr. Paul. Festi, 155 M. (ἅπ. εἰρ.)
REPVLSIOR — Iord. 60, 5. (ἅπ. εἰρ.)
VETERIOR — Iord. 9, 3. (ἅπ. εἰρ.)
b) AQVOSISSIMVS — r. r. XXXIV, 1. L, 2.
ARDVISSIMVS — Iord. 38, 9. (ἅπ. εἰρ.)
BENEFICISSIMVS — Iord. 43, 3. (ἅπ. εἰρ.)
CALDISSIMVS — r. r. XXXIV, 1. LXV, 2.

FRIGIDISSIMVS — r. r. XXXIV, 1. (ἅπ. εἰρ.)
HERBOSISSIMVS — r. r. LIV, 2. (ἅπ. εἰρ.)
PERPETVISSIMVS — Iord. 45, 7. (ἅπ. εἰρ.)
RATISSIMVS — Iord. 42, 3. (ἅπ. εἰρ.)
SICCISSIMVS — r. r. L, 2. (ἅπ. εἰρ.)
STERCOROSISSIMVS — r. r. XLVI. 1. (ἅπ. εἰρ.)
a) MAGNIFICIVS — Iord. 66, 4. (ἅπ. εἰρ.)
PERPTVIVS — Iord. 55, 3. (ἅπ. εἰρ.)
b) INDVSTRIOSISSIME — Iord. 9, 12. (ἅπ. εἰρ.)
MATVRISSIME — Iord. 36, 11. Verum Iord. 34, 1: *maturrime.*

ADVERBIA

a) ALTERAS — Iord. 85, 3. 4 (*bis.*) = *alias*; cfr. Paul. Festi, 27 M.; Neue, *op. cit.* I, 5, 7; Corssen *Ausspr.*, I², 769. Perperam, mea quidem sententia, Buecheler (*op. cit.* p. 106) contendit *alteras* esse gen. s. Ego contra acc. pl. esse dixerim: cfr. *inter vias.*
b) ILLORSVM — Iord. 87, 6. = *illo vorsum.* (ἅπ. εἰρ.)
c) SIREMPS — Iord. 71, 8. = *si(c) rem ipsam.*
d) QVARTATO — Iord. 86, 6 - cfr. Serv. *ad Verg. Aen.* III, 314; cfr. Ebrard *De ablativi, locativi, instrumentalis apud priscos script. lat. usu.* Lipsiae, 1879, p. 647 § 64 et 654 § 73.
TERTIATO — Iord. 86, 6. (ἅπ. εἰρ.)

LOCATIVVS

a) FINI — r. r. XXVIII, 2. radicibus *fini.* — CXIII. 2: ansarum infimarum *fini.* — CLIV: qua *fini.* = *fid-ne-i.*
b) TEMPERI — r. r. II, 1. 4.
DIE PROXIMI — Iord. 50, 3: « Sed ea declinatione a veteribus et *crastini* et *pristini* et *praefiscini dictum* » Non. 161 Quich; cfr. Corssen *Ausspr.* I², 775. II, 855; Buecheler, *op. cit.* Ebrard, *op. cit.*, 606 § 29, (ἅπ. εἰρ.)
DIE QVINTI — Iord. 21, 2; cfr. Gell. X, 24 (ἅπ. εἰρ.)

PRONOMINA

a) MIHIPTE — dat. s. Iord. 87, 21. (ἅπ. εἰρ.)
b) VOPTE — nom. pl. Iord. 88, 19 = * *vospte*. (ἅπ. εἰρ.)
c) EM — acc. s. Iord. 59, 3 = gr. (*i*)μ-ιν, μιν; (*i*)ν-ιν, νιν.
d) QVES — nom. pl. Iord. 3, 12.
QVESCVMQVE — nom. pl. Iord. 15, 3.
e) ALII MODI — gen. s. Iord. 51, 2. (ἅπ. εἰρ.)
ILLI MODI — gen. s. Iord. 55, 5. (ἅπ. εἰρ.). cfr. r. r. CLVII, 2: *illius modi*.
ISTI MODI — gen. s. Iord. 50, 4. (ἅπ. εἰρ.)
f) ILLAE REI — dat. s. r. r. CLIII-CLIV (cfr. *illi rei* XXV).
EAE — dat. s. r. r. XIV, 3; « Ut est ab *is eis*, sic ab *ea eae* diceretur, quod nunc dicitur *ei* etc. » Varr *LL*. 8, 28, 51 M.; cfr. Osanni *De pronom. tertiae pers.* etc. 8-9 (ἅπ. εἰρ.). Haec pronomina (*e*, *f*) antiquitus flectebantur ut nomina, notandi generis causa.

PRAEPOSITIONES

a) AN — Iord. 30, 8 = *Ambi - amb - am - an*. cfr. *ambi-vium, amb-io, am-plector, an-quiro*; cfr. gr. ἀμφί. Paul. Festi. 17. 21 M.; Priscian. I, 29 H. XIV, 57; Hand-Tursellinus I, 284-86; Curtius, *Grundz. d. Griech. Etym.* p. 275. (ἅπ. εἰρ.)
b) PRAETERPROPTER — Iord. 89, 3; cfr. Hand, *op. cit*, vol IV p. 544-45; Gell. XIX, 10, 12-14.
c) PONEVERSVS — Iord. 35, 10. 12.
d) VLS — Iord. 88, 14 = * *ouls*, cfr. Paulus p. 279 M. Comp.: *ulter, tra, trum*.

CONIVGATIO

INDICATIVVS

α) Praesens

a) Fitvr — Iord. 42, 5 - cfr. Priscian. VII, 377 H. (ἅπ. εἰρ.)
Fiebantvr — Iord. 48, 14.
Ivssitvr — r. r. XIV, 1 - cfr. Corssen *Ausspr.* II², 565. (ἅπ. εἰρ.)
Nvbilabitvr — r. r. LXXXVIII, 2. (ἅπ. εἰρ.)

β) Perfectvm

a) Calliscervnt — r. r. V, 5 = « *occaluerunt* » Non. 91 Quich.
Imposivi — r. r. XXXVIII, 8. (cfr. praef. 1. *posiverunt*. IV: *posiveris*).
Sepelitvs (est) — Iord. 45, 8 = *sepultus*; cfr. Priscian. X, 546 H. (ἅπ. εἰρ.)

γ) Fvtvrvm

a) Dormibit — Iord. 52, 11. Omnibus verborum thematibus in *ā*, *ē*, *ī*, tum in consonantem desinentibus (iis vero per *ē*) antiquitus subiungebatur-*bo*: *amā-bo*, *docē-bo*, *audī-bo* et *dic-ē-bo*; cfr. Guardia et Wierzseyski, *Gramm. de la lange latine*, Paris 1876 p. 247-48. (ἅπ. εἰρ.)
Facebis — r. r. XXXVII, 5. (ἅπ. εἰρ.)
Largibo — Iord, 52, 11.
b) Coepiam — Iord. 73, 15.

OPTATIVVS (ἅπ. εἰρ.)

a) Dicem — Iord. 90, 2; cfr. Quintilian. I, 7, 23: «Quid? Non Cato Censorius *dicam* et *faciam*, *dicem* et

faciem scripsit eundemque in ceteris, quae similiter cadunt, modum tenuit, quod ex veteris eius libris manifestum est et a Messalla in libro de *s* littera positum »? = * *deic-a-i-m*. In locum huius formae postmodum suffecta est forma subi. *dicam*,, quae perinde atque opt., futuri significationem induebat. In ceteris vero personis opt., formae permanserunt: *dices*, *dicet* etc. cfr. Schleicher, *Compend. di gramm. comp*, trad. Pezzi p. 419; Guardia et W. *op. cit.* p. 43. 234-35. 239-247.

FACIEM — Iord. 90, 2[1].

b) DICE — Iord. 90, 10 = *dicem*; cfr. Schleicher et Guardia *ibid.*

OSTENDE — Iord. 90, 7 « *ostende ostendam*, ut permultis aliis exemplis eius generis manifestum est. » Fest. 201 M.

RECIPIE[2] — Iord. 90. 5.

c) PROHIBESSIS — r. r. CXLI, 2. = * *prohibevisis*, * *prohibevsis*, *prohibessis*.

SERVASSIS — r. r. CXLI, 3.

IMPERATIVVS (ἅπ. εἰρ.)

PRAEFAMINO — r. r. CXLI, 1 = *prae-fa-mino-s* (*esto*) - cfr. Schleicher, *op. cit.*, 226-27. 408-9; Corssen, *Krit. Beitr.* 492 seqq.

INFINITIVVS (ἅπ. εἰρ.)

BIBER — Iord. 30, 12 = *bibere*.

---

(1) Hanc formam omisit Corssen, *Ausspr* 1², 267. II, 729-30.

(2) In fragmento Catoniano Iord. 80, 7, ubi alii *sibi* vel *sino* scripserunt, Iordan coni. *sivi*; at ego lectionem *sine* praeverto, quam inter optat. formas referre non dubitaverim. Cfr. Loewe, *Prodromus glossarior. latinor.* Lipsiae, 1876 p. 5.

ALTERA CONIVGATIO

CIRCVMTERGETO — r. r. LXXVI, 2 imperative pro *circumtergito*. (ἅπ. εἰρ.)
COMPONETO — r. r. CLVI, 3 - cfr. Neue, II, 345. (ἅπ. εἰρ.)

QVARTA CONIVGATIO

FODIRI — r. r. II, 4.
VINCIRI — r. r. II, 4.

ACTIVA CONIVGATIO

OPSEQVITO — r. r. V, 6.
PRAEFATO — r. r. CXXXIV, 1.
VTITO — r. r. XCVI, 2. CVII, 2. CXVII. CXIX. CXXIII. CXXVI. CXXVII = *utitor* r. r. CXVII. CXIX. CXXVII, 1.
FVRARE — Iord. 61, 9. (ἅπ. εἰρ.)

SIGNIFICATIO INTRANSITIVA

AVXIT — Iord. 8, 5 - cfr. Gellius XVIII, 12, 7: Id quoque habitum est in oratione faciendae elegantiae genus, ut *pro verbis habentibus patiendi figuram agentia ponerent* ac deinde haec vice inter se mutata verterent... M. Cato in Originibus: Eodem convenae et complures ex agro accessitavere: eo res eorum *auxit*.

VERBA INCOHATIVA

CONDELIQVESCO — r. r. XXIII, 3 = *penitus liquesco*. (ἅπ. εἰρ.)
DISHIASCO — r. r. XII. (ἅπ. εἰρ.)
DISTABESCO — r. r. XXIV, 1.
HIASCO — r. r. XVII, 2.
MACERESCO — r. r. XCII. = *mollesco*. (ἅπ. εἰρ.)
PERTAEDESCO — r. r. CLVI, 6.

ACCESSITO — Iord. 8, 5 (ἅπ. εἰρ.) - cfr. Jonas, *op. cit.* 6, 1.
DATO — Iord. 37, 14.
DOLITO — r. r. CLVII, 7 (ἅπ. εἰρ.) - cfr. Jonas, *op. cit.* 7, 9.
EMPTITO — Iord. 69, 7.
FLEXO — r. r. XLIX, 2.[1]
FUTO — Iord. 87, 12 (ἅπ. εἰρ.) - « *futare* arguere est, unde *confutare*, sed Cato pro *saepius fuisse* posuit. » Paul. Festi, 89 M.; Placid. *Gl.*, 463-60 Mai « *futavit*, fuit, *futavere*, fuere. » - rad. *bhu* = *esse* - cfr. *fu-i*, *fu-isse* gr. φύ-ω etc.[2]
LATITAVERVNT — Iord. 87, 19 = « *saepe tulerunt* » Paul. Fest., 121 M. - rad. *tal-*, *tla-*, *la-* : *tul-i*, (* *tlatu-s* gr. τλη-τό-ς) *lă-tu-s* : (ἅπ. εἰρ.)[3].
OBSONITO — Iord. 52, 14 (bis) = *saepe obsono*. Fest., 201 M. - cfr. Jonas, *op. cit.*, 8, 20.
REDEMPTITO — Iord. 69, 7 a *redempto*, quod semel tantum occurrit apud Tacit. *Hist.* III, 36 - cfr. Jonas, *op. cit.*, 9, 23. (ἅπ. εἰρ.)
SUBRECTITAVIT (e convivio in cubiculum) — Iord. 64, 7 - cfr. Plaut. *Mil. gl.* II, 1, 81. *Bacch.* IV, 106. *Most.* V, 1, 53; Plat.: ἀνέστη εἰς τὴν αὐλήν. (ἅπ. εἰρ.)
VECTITO — Iord. 59. 1. (In r. r. X, 1 : *vecto*.)

---

(1) Hoc verbum omisit Jonas.

(2) Ad huiusce verbi intellectum quod attinet, aliter sentit Corssen qui (*Krit. Beitr.*, 214-15) hoc tantum aliam omnino illi significationem affinxit (rad. *ghu* = gr. χυ-, χευ-, χύ-μα, χέ(F)ω, lat. *fu-*, *fu-tis*, *fu-n-d-ere* etc.), quod *futo*, utpote frequentative a *fuo* nusquam apud scriptores latinos occurrat. Sed immerito ; nam si quae semel usurpantur, ea hoc tantum nomine abiceremus, multa profecto a lexicis latinis essent expungenda, quae pluries innotuissent si omnia ac tota latinitatis monumenta superessent. At iuvabit sua ipsius verba referre : « Ich habe die drei letzten stellen emendiert, indem ich in die überlieferten Schreibweisen *fuisse*, *fuit*, *fuere*, ein *d* eingesetzt habe, da die lateinische Sprache von einem frequentativen Verbum *futare* der Wurzel *fu-* in *fu-am*, *fu-isse* u. a. nichts weiss. *Futare* heisst also eigentlich « oft giessen » etc. Oui quidem sententiae etiam G. Curtius, (*op. cit.*, 285) refragatur his verbis: » Zu Corssen's Aenderung liegt kein Grund vor. » — Vanicek vero tum a rad. *ghu* (*op. cit.*, I, 263), tum a rad. *bhu* (II, 636), *futo* derivat. !

(3) Deest in Jonas, *op. cit.*

VNGVITO — Iord. 29, 3 cum Servio (*Aen.* IV, 698) scribit *unctito*; Scaliger coni. *ungito* et Putsch *inungito*. Ego autem Charisium (I p. 101 K.) secutus scribo *unguito* cum Peter (*Histor. Romanor. relliq.* vol. I p. 89, 11).

VERBERITO — Iord. 88, 17 - cfr. Paul. Festi., 379 M.; Jonas, *op. cit.*, 9. 30. (ἅπ. εἰρ.)

Ἅπαξ εἰρημένα

SVBSTANTIVA

ALETVDO — Iord. 48, 6 = corporis pinguedo; cfr. Fest. p. 27 M.

AMBVLATRIX — r. r. CXLIII, 1.

BOVILE — Iord. 71, 2; cfr. Charis. I p. 104 K: « *Bovile* vetat dici Varro ad Cic. VIII et ipse semper *bubile* dixit. sed Cato de abrogandis legibus *bovile* dixit ».

CAPREIDA — r. r. CXXII = genus quoddam plantae diureticae.

CITERIA — Iord. 59, 1 « appellabatur effigies quaedam arguta et loquax ridiculi gratia, quae in pompa vehi solita sit » Paul. Festi, 59 M.

CONFIBVLA — r. r. XII = quoddam fibulae genus qua veteres utebantur arboribus comprimendis si dehiscerent.

CVPVLA — r. r. XXI, 3 = *parva cupa* gr. κώτη ital. *manubrio*, *manovella*; cfr. *cap-ulu-s*, *cap-i-o* etc.

DEPORTATIO — r. r. CXLIV, 3 = ital.: *trasporto*. Serius apud alios scriptores *exilium* significat.

DVRITVDO — Iord. 48, 45 - cfr. Gell. XVII. 2, 20.

FORTAX — r. r. XXXVIII, 1 = φόρταξ: fulcrum quo furnus nitebatur - cfr. Vanicek, *op. cit.*, II, 602.

INCILIA — r. r. CLV, 1 = *fossas inciles* ibid.

IVSCVLVM — r. r. CLVI, 7.

LVTAMENTVM — r. r. CXXVIII. Opus luto oblitum - cfr. Vanicek, *op. cit.*, II, 849.

MOSCILLI — Iord. 88, 6 « pro *parvis moribus* » Fest. 158 M.; Iordan coni. *pravis*.

MVLLEVS — Iord. 28, 12. cfr. Fest. p. 142 M. « *Mulleos* genus calceamentorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi deinde patricii sunt usi ».

NVCVLEVS — r. r. CXIX = *nucleus*.

OPTIONATVS — Iord. 39, 4, cfr. Fest. p. 201 M.: « *Optionatus* ut *decurionatus, pontificatus* dicitur, ut Cato in ea quam habuit apud equites ».

PELLICVLATIO — Iord. 72, 17; cfr. Fest- p. 242 M.: « Pelliculationem Cato a pelliciendo, quod est inducendo dixit ».

PENATORES — Iord. 45, 11 « qui penu gestant. » Festi, 237 M.[1]

PRAEDONVLI — Iord. 83, 19.

PROCVBITORES — Iord. 81, 6 « dicuntur fere velites, qui noctu custodiae causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt, » Fest. 253 M.

PRODITIO — Iord. 73, 9; cfr. Fest. p. 242 M. « *Prodidisse*.... tempus longius fecisse, ut Cato: Te, Caecili, diem *prodidisse* militibus legionis III, cum *proditionem* non haberent ».

---

(1) Quidam suspicati sunt « Festum in corruptos Catonis codices incidisse, ubi male *penatores* pro *venatores* legeretur » cfr. Meyer, *Orator. romanor. fragm.* Parisiis, 1837 pag. 127.

PVNCTARIOLAS — Iord. 53, 16 = « levis pugnas » Fest. 242 M. rad. *pug*, unde *pug-na, pug-no, pu-n-g-o*; cfr. Vanicek, *op. cit.*, I, 535.

RETRICIBVS — Iord. 53, 17 — « cum ait Cato in ea quam scripsit cum edissertavit Fulvi Nobilioris censuram significat aquam eo nomine, quae est supram viam Ardeatinam inter lapidem secundum et tertium, qua inrigantur horti infra viam Ardeatinam et usque Latinam » Fest. p. 282 M.

SAVILLVM — r. r. LXXXIV, 1 - genus placentae - rad. *svad* unde *suad-e-o, suâ-vi-s* (*suad-vis) etc. - cfr. Curtius, *op. cit.*, 215.

SEMIFVNIVM — r. r. CXXXV 5, = *funiculus*.

SICILIMENTA — r. r. CV, 8 « herba siliciendo resecta idest quam foenisecae prima sectione relictam; iterata sectione demetunt. » Forcell. - rad. *sak* unde *sec-o, sic-ili-s, sicili-o* - cfr. Corssen, *Ausspr.* I², 501-2.

SITICINES — Iord. 68, 10 « ut *liticines* a lituo, ut *tubicines* a tuba, ita *siticines*, qui apud funeratos, vel vita functos et sepultos, hoc est iam *sitos*, canere soliti erant honoris causa, cantus lamentabiles. Hoc in coniectaneis Ateii Capitonis invenitur; et Cato id vocabulum indubitanter apposuit » Non. 54-55 Quich.; *Gell.*; XX. 2; Cic. *De leg.* II, 57.

SPATIATOR — Iord. 58, 9 = *ambulator*, r. r. V, 2.

STRICTOR — r. r. CXLIV, 3 - qui oleas stringit et colligit - cfr. Plin. XV, 3.

SPAERITA — r. r. LXXXII - placentae genus quae ex multis globulis constabat.

SVBSTRAMENTVM — r. r. CLXI, 2 = *substramen*.

VERRVCA — Iord. 18, 8 « pro loco edito » Non. 200. Quich.; Gell. III, 7, 1 — rad. *vardh* = *adolescere*; *ard-uu-s*, gr. ὀρϑ-ός (Ϝορϑ-Ϝο-ς) - cfr. Vanicek, *op. cit.*, II, 928. 30.

VIDVERTAS — r. r. CXLI, 2 « calamitas, dicta quod viduet bonis » Paul. Festi, 369 M.

VNGVLATRI — Iord. 88, 15 « ungues magnos atque asperos » Paul. Festi, 379 M.

Amvrcarivs — r. r. X, 4 (ex amurca [1] = ἀμόργη ital.: morchia) - vas in quo amurca servatur - cfr. Curtius, *op. cit.*, 150-51; Corssen, *Krit. Nachtr.* 271.

Assarivs — r. r. CXXXII - dicitur de carne pecuina apta et parata assurae (Popma) - rad *vas* = *urere*, * *ar-tariu-s*, * *ar-sariu-s*, *as-sariu-s* - cfr. *as-so* (* *ar-so*), *ar-e-o*.

Conliciaris (tegula) — r. r. XIV, 4 « colliciae tegulae per quas aqua in vas defluere potest » Paul. Festi, 114 M. - rad *ri-*, *ri-k* unde *ri-vu-s*, *liqu-e-o*.

Cloacale (flumen) — Iord. 87, 7 « pro cloacarum omnium colluvie » Paul. Festi, 27 M.

Depsticivs — r. r. LXXIV (*a depso*) = ital.: *gramolato* - cfr. gr. δέψω.

Disciplinosvs — Iord. 82, 5 « Etiam [in] pessima arte potest dici » Non. 536 Quich ; Gellius vero IV, 9, 12: « Quod si, ut ait Nigidius, omnia istiusmodi inclinamenta (in - *osus*) nimium ac praeter modum significant et idcirco in culpas cadunt, ut *vinosus*, *mulierosus*, *morosus*, *verbosus*, *famosus*, cur *ingeniosus* et *formosus* et *officiosus* et *speciosus*, quae pariter ab ingenio et forma et officio inclinata sunt, cur etiam *disciplinosus*, *consiliosus*, *victoriosus*, quae M. Cato ita affiguravit . . . . , numquam in culpam, sed in laudem dicuntur »?

Fabaginvs — r. r. LIV, 2 = *fabalis*, *fabaceus*.

Formidvs — Iord. 87, 11 - rad *ghar* = *calere*: skt. *gharma-s*, gr. θερ-μό-ς, lat. *for-mu-s*, *fur-nu-s* etc. - cfr. Curtius, *op. cit.*, 450. Corssen, *Krit. Nachtr.*, 220.

Fracidvs — r. r. LXIV, 1.

Indvtilis — r. r. CXXXV, 2 (ab *induo*).

Insomniosvs — r. r. CLVII, 8 - qui insomniae morbo laborat.

---

(1) « Amurca per *c* scribitur et per *g* pronunciatur » Serv. *Georg.*, I, 94 cfr. Brambach, *Die Neugestaltung der latein. Orth.* etc. Leipzig, 1868, p. 213 sqq.

MANVPRETIOSVS — Iord. 72, 23 - qui egregio artificis opere pretiosus est.
MATERINVS — r. r. XXXIV, 2 = *durus, solidus.*
MEDIOCRICVLVS — Iord. 34, 13.
PRAEDVCTORIVS — r. r. CXXXV, 5 - qui praeducit.
PRAEMIOSVS — Iord. 72, 15 = *pecuniosus* - cfr. Fest. 242 M.
SENTINOSVS — Iord. 14, 7.
SERARIVS — r. r. CL, 2 - dicitur de porcis qui sero pascuntur.
REMISSARIVS — r. r. XIX, 2 - qui remitti potest.
STRICTIVVS — r. r, CXLVI, 1 - qui stringitur sive colligitur ; opponitur *caduco.*
SVSPITIOSVS — Iord. 64, 5 « pro *suspecto* » Gell. IX, 12, 7.
TVBVRCHINABVNDVS — Iord. 89. 18 - cfr. Quintil. I, 6, 42 : « Neque enim tuburchinabundum iam nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor » — dicitur de illo qui cum aviditate cibum absumit.
VECTICVLARIUS — Iord. 73, 10 ; op. Paul. Fest. : p. 378 M. « Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienas porfodiunt furandi gratia » (?)
VENDAX r. r. II, 7 - qui facile vendit ; opponitur *emaci*

ADVERBIA

NEQVO — r. r. CXLIII - ne qua ratione. - abl. modi. (ἅπ. εἰρ.) (1).

VERBA

ACEO — r. r. CXLVIII, 1.
ADAREO — r. r. XCVIII, 1
ADINDO — r. r. XVIII, 9 = *immitto, inicio.*
ARVEHO — r. r. CXXXVIII, 1 = *adveho* « antiquissimi pro *ad* frequentissime *ar* ponebant : *arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare....* dicentes pro *advenas* etc.... » Priscian I, 35 H. ; Corssen, *Ausspr.* I², 238.

(1) Ebrard, *op. cit.*, hanc vocem omisit.

CIRCVMFRICO — r. r. XXVI.
CIRCVMPLVMBO — r. r. XX, 2 - aliquid plumbo undique firmo.
COMMADEO — r. r. CLVI, 5.
CONSEDO — Iord. 36, 11.
CONLIBRO — r. r. XIX, 2.
DELAPIDO — r. r. XLI, 1 = *lapidibus purgo.*
DESVO — r. r. XXI, 3 = *firmo.*
DISDO — Iord. 37, 17 = *impertior.*
EXPINSO — r. r. II, 4 = *piso* (rarissimi usus) - rad. *pis*: unde *pistor* etc. - cfr. Curtius, *op. cit.*, 260.
FEROCIO — Iord. 87, 14 = « ferociter ago » Fest. p. 92 M.
FIVO — Iord. 87, 14 « item pro *figere.* » Paul. Festi, 92 = *figv-o* - cfr. (nix) *nivis* = * *nigv-is,* unde *ningu-es* (Lucr. 6. 736) *nin-guit* - cfr. Ascoli. *Fon. comp.* 130; Corssen, *Ausspr.* I², 87; *Krit. Beitr.*, 56.
FRACEO — r. r. CXXVIII « fracidus fio » - Fabretti, *Gloss. Ital.*, 518.
INSIPO — r. r. LXXXV, rad. *svap* - cfr. Fest. p. 311: « supat, iacit; unde dissipat disicit, et obsipat obicit, et *insipat,* hoc est inicit ».
NATINOR — Iord. 88, 2 = *seditiosa negotia gero* - cfr. Fest., 166 M.; Corssen, *Ausspr.* I², 433.
OPPICO — r. r. CXX = *pice oblino.*
SVBTENEO — r. r. XXI.
VITILITIGO — Iord. 80, 8 = *calumnior* - cfr. Plin. *H. N. Praef.* 30; Loewe, *op. cit.*, 5.

PARTICIPIA

ADVSVS (*abusus,* Turneb.) — r. r. LXXVI, 4 = *absumptus.*
HARENATVS — r. r. XVIII, 7.
ARVECTVS — r. r. CXXXV, 7 (v. supra *arveho*).
CIRCVMVERSVS — r. r. CXLIII, 2 (a *verro*) = *bene mundatus.*
DEACINATVS — r. r. XXVI « dicitur de vasis a quibus acini abstersi sunt. » Foroell.
FAECATVS — r. r. CLII. « faecibus expressus. » Plin. XIV, 12, 1.
GLVTVS — r. r. XLV, 1 = *tenax* (a *glu-o* = συστύφω *Gloss. Philox.*) rad. *gla* unde *glū-t-en* (*inis*)

glu-tin-ōsus, ag-glutino etc. - cfr. Corssen, *Ausspr.* I², 234; Curtius, *op. cit.*, 342-3. Vanicek, *op. cit.*, I, 234.

INCONDEMNATVS — Iord. 40, 2 = *indemnatus.*

GERVNDIVI

INSECENDA — I. 42, 8 - cfr. Gell. XVIII, 8, 4 - rad. *sak* = dicere: *in-sec-e*, gr. ἔννεπε (* εν-σεπ-ε), *insectiones* (= narrationes), *insexit* (= dixit(, *insequis* (= « narras, refers, et intendum pergis » Placid. *Gl.*); Umbr. *prusikurent* (= declaraverint). - cfr. Corssen, *Beitr. zur Italischen Sprachk.* 7; Curtius, *op. cit.*, 426-27 (1).

VOCES QVAE PLVRIES TAMTVMQVE A CATONE VSVRPANTVR

a) ELVACRVM — r. r. X, 4. XI, 2 - vas significat in quo quid eluitur - cfr. Vanicek *op. cit.*, II, 850.

b) DELICVLVS — r. r. II, 7 (bis): dicitur de armentis quae aetate vel morbo deficiunt - rad. *lik* - cfr. *delinquere, deliquium.*

RAPICIVS — r. r. CXXXV, 2. CXXXIV, 1 - ad rapam pertinens.

RVDECTVS — r. r. XXXIV, 2. XXXV, 1 = *siccus, macer.*

SVBDVCTARIVS — r. r. XII, LXVIII. CXXXV, 3. quo quid subdicitur.

c) VTRINDE — (loc.) Iord. 54, 3 (bis.).

d) ARFACIO — r. r. LXIX, 1. CXXV. CLVII = *arĕ-făcio, arĕ-făcio, ar-facio* - cfr. Corssen, *Ausspr.* II², 577 et 887.

INTERSPIRO — r. r. CXII.

---

(1) Alii pro *insecenda, insecendo* coniecerunt; at ego cum Gellio (l. c.) qui hanc vocem bis refert, *insecenda* recipio.

Quidam glottologi verba *insequi, consequi* (quae nonnunquam induunt significationem respondendi) et *resequi*, perinde atque *insecere* a rad. *sak* = *dicere* derivarunt. Cui quidem sententiae facile adstipularer, nisi, ut opinor, ad rad. *sak* = sequi, *insecere* excepto, cetera essent referenda, atque idcirco significarent « *tener dietro, soggiungere* » Ad haec *insecere* cum casu dativo coniungitur, *insequi* autem, *consequi* et *resequi* cum accusativo: cfr. insece mihi.... (Liv. Andr.); his est resecuta rogantem (Ovid.) etc.... Videsis quae egregie edisserit Corssen, *op. cit.*, 69-72.

II.

SYNTAXIS

SVBSTANTIVA

NVMERVS SVBSTANTIVORVM

a) Singularis pro plurali. — Fest. (v. mina): Mina singulariter dici pro eo quod minae pluraliter dicimus, Curiatius auctor est. Item M. Cato in suasione ..., *mina* cogi nulla potuit. — Fest. (v. *prex.*; Iord. p. 46, 10): *Praecem* singulariter Cato in ea quae est de coniuratione.

b) Pluralis pro singulari. — r. r. X, 4 (ter) XI, 4: *Molas unas.* — CLVII, 7: Si *lienes* turgent.

c) Pluralis abstractorum. — Paulus Fest. p. 27 M. (Iord. 87, 5): *Audacias* pluraliter Cato dixit.

CASVS SVBSTANTIVORVM

a) Accusativus absolutus. — r. r. VII, 4: *Oleas, orcites, posias*: eae optime conduntur. — XXXVII, 2: Stercus unde facias. *Stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus, frondem iligneam querneam.* — X: Quo modo oletum agri iugera CCXL instruere oporteat. *vilicum, vilicam, operarios quinque* e. q. s. — XIII, 1: In torcularium in usu quod opus est. *urceum* I e. q. s. — *Ibid.* 2: In cellam oleariam haec opus sunt. *dolia olearia, opercula, labra olearia* XIIII, *concas maioris,* II e. q. s. — CIV, 1: *Vinum* familiae per hiemem qui utatur.

Cum verbis: utor, abutor, fruor. — r. r. CXVIII: Oleam albam, *quam* secundum vindemiam *uti* voles, sic condito. — CXLIII, 1: *Vicinas aliasque mulieres* quam minimum *utatur.* — CXXII: Id *utito* vini *cyatum* mane ieiunus. — LXXVI, 4: Donec omne caseum cum melle abusus eris. — Iord. 73, 1. 2: Si quid est *quod*

utar, utor; si non est, egeo. *suum* cuique per me *uti* atque *frui* licet.

Accusativus qui dicitur figura etymologica — r. r. CXXXIV, CXXXIX, 2 (bis): Te hoc porco piaculo inmolando *bonas preces precor.*

b) Ablativus cum praep. ab. — r. r. XIV, 1: Villam aedificandam si locabis novam *ab solo*, faber haec faciet oportet. — XXXIV, 2: Quae loca sicca et non herbosa erunt, aperta *ab umbra*, ibi triticum serito.

Cum praep in. — Iord. 83, 3: Siquis *in ea re* studebat. — r. r. XIII, 1: In torcularium *in usu* (= cum uti volumus. Gesn.) quod opus est.

Cum praep. in et verbis motum indicantibus — r. r. XXVIII, 2: *In scrobe* quom *pones.* — Iord. 19, 15: Sed idem benefactum *quo in loco ponas* nimium interest. — *r. r.* VII, 4: *In sole ponito* (cfr. LXXXVII. LXXXVIII (ter) et CXII, 2. CXIII, 2. CXVI. CLI. 2) CV, 2: Biennium *in sole* sinito positum esse. — XXXVII, 3: Quos pridie *in tecto posueris (posiveris?).* — CXII, 2: *In tecto in cratibus componito.* — XVIII, 6: *In iis trabeculis* trabes, quae insuper arbores stipites stant, *conlocato.* — CLVII, 15: Si polypus *in naso introierit.* (Perperam H. Keil: *in naso intro erit*) — LIV, 2; *In tecto condito.* — VII, 2: Uvae *in olla in vinaceis* conduntur, eadem *in sapa*, *in musto*, *in lora* recte *conduntur.* — *ibid.* 4: Oleas orcites, posias: eae optime *conduntur* vel virides *in muria* vel *in lentisco* contusae. — *ibid.*: Sorba *in sapa condere.*

Hinc ad rem significandam unde aliquid sumitur — r. r. CXXVII, 1: Ubi voles cibum concoquere et lotium facere, *hinc* bibito quantum voles sine periculo.

Unde, cum persona, omnium primus usurpavit Cato — r. r. V. 3: Duas aut tres familias habeat, *unde* utenda roget et quibus det, praeterea nemini. (Etiam Sallustius, Catonis imitator, cum eadem significatione *unde* usurpatur *Iugurth.* 4: *Unde* minime decuit).

ELLIPSES ET PLEONASMI

SVBSTANTIVORVM ET PRONOMINVM

a) Subauditur substantivum: — r. r. X, 4: Dolia quo vinaceos *condat.* — XI, 1: Dolia ubi vinaceos *condat.* — *Ibid.*,

2: Cola qui florem *demant*. — CL, 2: Paullulam pilam ubi triticum *pinsat*.

b) *Subauditur pronomen is* — r. r. XXXV, 2: Hordeum, qui locus novus erit aut qui restibilis fieri poterit, serito.

c) *Genus et species per pleonasmum coniunguntur*: — r. r. VII, 4; *Oleas orcites, posias*. — VIII, 1: *Ficos mariscas*. — XVIII, 3: *Lapides silices*. — XX, 2: Modiolos in orbis oleagineos ex *orcite olea* facito. — Iord. 34, 5: Inde omnem classem *ventus auster* lenis fert (cfr. r. r. XXXI, 2).

d) *Additur* δεικτικῶς *pronomen is* — Iord. 62, 5. 6: *Illi*, unde petitur, *ei* potius credendum esse. — r. r. I, 2: Vicini quo pacto niteant. *id* animum advertito. — V, 3: *Amicos* domini, *eos* habeat sibi amicos. — *Ibid.* 8: Item faenum cordum, sicilimenta de prato, *ea* arida condito. — VI, 1: Idem ager, si nebulosus est, rapa, raphanos, milium panicum, *id* maxime seri oportet. — VIII, 1: Africanas et herculaneas, sacontinas, hibernas tellanas atras pediculo longo, *eas* in loco crassiore aut stercorato serito. — XX, 1: *Columellam ferream*, quae in miliario stat, *eam* rectam stare oportet in medio ad perpendiculum. — LVIII: Postea *oleas* tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, *eas* condito. — CLVII, 3: Cancer ater, *is* olet.

e) *Additur ad comprehendendum pronomen omnia* — r. r. LXVIII: Orbes, fibulas, vectes, suculas, fiscinas ... *omnia* quis usus erit. — XCVI: Aquam in qua lupinus deferverit et faecem de vino bono, inter se *omnia* conmisceto bene.

PRONOMEN POSSESSIVVM

Cum significatione obiectiva — Iord. 23, 11 ne sub solo imperio nostro in servitute *nostra* essent (= quam nobis serviunt).

PRONOMEN INDEFINITVM

Cum numeralibus significat circiter — r. r. CLVI, 1: Comesto *aliqua* V folia. — Iord. 18, 7: *Quadringentos aliquos* milites.

CARDINALIA

Unus pluraliter significat solus — r. r. X, 4: Molas asinarias *unas* et trusatilis *unas*, hispaniensis *unas*. — XI, 4: Molas trusatilis *unas*. — XIII: Scalas *unas*.

VERBUM

CONIVNCTIVVS

Coniunctivus cum praep. donec primum occurrit apud Catonem — r. r. LIV, 3: Usque ocinum dato, *donec arescat.* Cfr. Hand, *op. cit.* II p. 295.

INFINITIVVS

a) Praef. r. r. *Est* interdum *praestare* (= *praestat*) mercaturis rem quarere.

b) r. r. II, 2: Per ferias *potuisse* fossas veteres tergeri. — Ibid.: Cum servi aegrotarint, cibaria tanta dari non *oportuisse* (gnomice pro *oportere*).

c) r. r. III,: Prima adulescentia patrem familiae agrum conserere oportet, aedificare diu cogitare oportet; conserere cogitare non oportet, sed facere oportet.

PARTICIPIVM FVTVRI

Priscian. IX, 475 (Iord. 26, 7): Frequenter antiquissimi neutro participio futuri addebant *esse* et infinitum significabant, *oraturum esse* pro *oratum ire* dicentes et *facturum esse* pro *factum ire* Cato in V originum: Illi polliciti sese facturum omnia.

NVMERI ET PERSONAE VERBI

Ponitur pluralis κατὰ σύνεσιν *post notiones collectivas*: — Iord. 19, 17: Propter eius virtutes *omnis Graecia* gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae *decoravere* monumentis signis statuis elogiis historiis aliisque rebus. — Iord. 23, 7: Haud scio an *partim* eorum fuerint. — Iord. 62, 3: *Siquis* quid *alter* ab altero *peterent.* — Iord. 23, 15: *Siquis* advorsus rem suam quid *arbitrantur.*

ASYNDETON

r. r. I, 1: Vicini quo pacto niteant, id animum advertito: in bona regione bene nitere oportebit et uti eo cum introeas et circumspicias, uti inde exire possis uti bonum caelum habeat, ne calamitosum siet. — *Ibid.*, 2: Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri, operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet. — II, 1: Postridie eius diei vilicum vocet, roget quid operis siet factum quid restet — *Ibid.*, 2: Dicet vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse. — III, 2: Patrem familiae villam rusticam bene aedificatam habere expedit, cellam oleariam, vinariam, dolia multa, uti lubeat caritatem expectare, et rei et virtuti et gloriae erit. — *Ibid.*, 3: Si in terra et tabulato olea nimium diu erit, putescet, oleum foetidum fiet — IV: Libentius et saepius venies: fundus melior erit, minus peccabitur, fructi plus capies. — V, 2: Familiae male ne sit, ne algeat, ne esuriat: opere bene exerceat, facilius malo et alieno prohibebit. — VI, 2: Ager oleto conserundo, qui in ventum favonium spectabit, et soli ostentus erit, alius bonus nullus erit. — VII, 4: Oleas orcites, posias. — VIII: Africanas et herculaneas, sacontinas, hibernas, tellanas atras. — IX: Salicta locis aquosis, umectis, umbrosis, propter amnes ibi seri oportet. — X, 4: opercula doliis, seriis. — XXI, 1: Inter cupam dextra sinistra pertundito late digitos primarios IIII. — *Ibid.*, 2 Dextra sinistra foramina ubi feceris. — *Ibid.*: Dextra sinistra foramina utrinque secus lamminas sub lamminas. — LI: Propagatio pomorum, aliarum arborum. — LIV, 1: Si non laborabunt, pascantur satius erit. — CXXXVII: Vineam curandam partiario. bene curet fundum, arbustum, agrum frumentarium.

COLLOCATIO VERBORVM

Primo loco ponitur verbum cuius maxima est vis — r. r. I: Praedium quod primum siet, si me rogabis, sic dicam. — IV: Villam urbanam pro copia aedificato. — VI, 1: Agrum quibus locis conseras, sic observari oportet. — *Ibid.*, 4: Vineam quo in agro conseri oportet, sic observato. — Iord. 54, 9: Agrum quem vir habet tollitur.

Subiectum enunciationis secundariae mutatur in obiectum enunciationis primariae. — VIII, 2: Haec facito uti serantur. —

XVIII: superiorem partem arborum digitos VI altam facito siet. — XXXIII, 1: Vineam sic facito uti curetur. — XLI, 4: Eos surculos facito sint longi pedes binos. — LXXVI, 3: Caseumque per cribrum facito transeat in mortarium. — CXXXIII: Eo modo quod vis genus arborum facere poteris, uti radices bene habeant. — V, 5: Prius villam videat clausa uti siet.

DE DIFFERENTIIS VERBORVM.

a) Iord. 47, 14: Aliud est, Philippe *amor*, longe aliud *cupido*. accessit ilico alter, ubi alter recessit; alter bonus, alter malus.

b) Iord. 44, 4: Aliud est *properare*, aliud festinare, qui unum quicquid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat. ego unum quicquid adortus eram transigebam.

c) Iord. 73, 6: Tu inquam, si verum supprimis, *falsarius* agnosceris; si falsa confingis, *mendax* esse videris.

Etsi complura praetereo quae ab aliis etiam scriptoribus usurpata reperias, hic iuvat quasdam formas notare Catoni perquam familiares: in iis recensendae sunt ex. gr. formae perfect. act. in *ere* exeuntes: Iord. 8, 5: *accessitavere* — 8, 16: *Fuere*. — 9, 11: *Meminere*. — 19, 9: *Dedere*. — 19, 12: *Cognovere*, *sustulere*. — 19, 18: *Decoravere*. — 20, 1: *Habuere*. — 20, 13: *Decessere*. — 21, 5: *Rescivere*. — 23, 6; *Noluere*. — 23, 9: *Metuere*. — 23. 13: *Adiuvere*. — 33, 4: *Fecere*. — 39, 6. 59. 7. 10: *Habuere*. — 39, 3: *Paravere*. — 41, 3: *Verberavere*. — 41, 3 *Vedere* — 52, 14 bis: *Absonitavere*. — 64, 6: *Censuere*. — 66, 6: *Veniere*. — 69, 7: *Emptitavere*, *redemptitavere*. (Cfr. contra Iord. 4, 15: *Habuerunt*. — 15, 5: *Possederunt*. — 56, 2: *Calliscerunt*. — 56, 3. 4: *Defoderunt*, *circumposuerunt*, *interfecerunt*. — 72, 7: *Voluerunt*. — 88, 5: *Meritaverunt*. — r. r. CLII: *Monstraverunt*).

Ad haec aliae quoque formae Catoni adriserunt cuiusmodi sunt in Originibus, et Orationibus: *atque* [1] vel *que* — Iord. 21, 8:

(1) Cfr. Marci Aurelii ad Front. libr. II. epist. XIII p. 36 N.: « Ego tibi de patrono meo M. Porcio gratias ago, quod eum crebro lectitas. Tu mihi de C. Crispo timeo ut numquam gratias agere possis: nam uni M. Porcio me dedicavi atque despondi, atque delegavi. Hoc etiam ipsum *atque* unde putas? ex ipso furor(e) ».

Scio solere plerisque hominibus rebus secundis *atque* prolixis *atque* prosperis animum excellere *atque* superbiam *atque* ferociam augescere *atque* crescere. — 19, 10: Nam ita evenit, cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen vulnus capiti nullum evenit, eum*que* inter mortuos defetigatum vulneribus *atque* quod sanguen defluxerat cognovere, eum sustulere, is*que* convaluit, saepe*que* postilla operam rei publicae fortem *atque* strenuam perhibuit illo*que* facto quod illos milites subduxit exercitum servavit. In libro autem « De re rustica » *et* vel *que* occurrit: r. r. praef. 1: *Et* item fenerari si tam honestum siet. maiores sic habuerunt *et* ita in legibus posiverunt... *et* virum bonum quom laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonum*que* colonum. — *Ibid.* 4: At ex agricolis *et* viri fortissimi *et* milites strenuissimi gignuntur, maxime*que* pius quaestus stabilissimus*que* consequitur minime*que* invidiosus, minime*que* male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt.

INDEX

PARS I.

Praefatio . . . . . Pag. 5
De vita . . . . . » 7

PARS II.

CAPVT I.

De Orationibvs . . . . . » 35

CAPVT II.

De re rvstica . . . . . » 71

CAPVT III.

De Originibvs . . . . . » 101

CAPVT IV.

De Praeceptis . . . . . » 127

PARS III.

Grammatica . . . . . » 141

ERRATA-CORRIGE

Pag. 11, 4 Scipioni *: Scipionem. — Pag. 26, 17 arruipit *: arripuit. — Pag. 89, 1 quidis *: si quid.

ADDENDA.

Pag. 62, 4 post *defendit* * adde: ac se ab inimicorum accusationibus saepenumero purgavit; — pag. 73, 1 post *qui* * adde: in bello strenuissimi; — pag. 88 n. 2 post *CXLI* adde: Haec Catonis verba ita reconcinnantur:

Mars páter, té precór, quaésoque úti sies
Voléns propitiús mi(hi) dómo fámilaéque
Nostraé, quoius réi ergo agrúm terrám fundúmque
Meum suóvetaúrilia circum agi iussi.
Uti tú morbós visos invisósque
Viduértatém vèstitúdinémque
Cálamitatés intempériásque
Prohibessis deféndas áverrúncesqué,
Utique tú frugés frúmentá vinéta
Virgultaqué grandire ben(e)que évenire siris.
Pastóres pécuáqué sálva sérvassis
Duisqué bonám salútem váletudinémque
Mi(hi) dómo fámiliaéque nóstrae harúmce rérum
E'rgo fúndi térrae ágriqué mei
Lústrandi lustrique fáciéndi érgo
Sicút(i) dixi macte hisce suóvetaurilibus
Láctentibus (immolandis) ésto.
Mars páter éiusdém rei ergó macte hisce
Suóvetaúrilibus láctentibus ésto.
E'iusque rei érgo mácte hisce
Suóvetaúrilibus immolándis ésto.
Márs patér si quid tíbi ín illisce
Suóvetaúrilibus lactentibus néque
Sátis fáctum ést suóvetaúrilibus
Te hisce piáculó.
Márs patér quod tíbi illuc pórco néque
Sátis fáctum ést te hóc porcó piacúlo.

(Cfr. Hermannus Buchholtz, *Priscae latinitatis originum libri tres* Berolini 1877, lib. III p. 321-22; R. Westphal, *Griechische Metrik* p. 38). — Pag. 93 n. 1 ante *Lucrezio* adde: G. Trezza. — Pag. 107, 8 post *oportet* » adde: Ex Originum prooemio decerpta dixerim quae habet Plutarchus (*op. cit.* XX, 4): « Καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὥπως οἴκοθεν ὑπάρχοι τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι ». — Pag. 124, 34 post *pertinent* * adde: expressit.

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
CANCELLED
APR 1 1
JUN 1
2617 4

Lc 26.50
De M. Porcii Catonis vita, operibus
Widener Library 004987550
3 2044 085 188 068